Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
33 E
36

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

M.278.

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COMPENDIVM VITAE B. IOANNIS A CAPISTRANO

Digitized by Google

Digitized by Google

GESTA

VIRTVTES, ET MIRACVLA

B. IOANNIS A CAPISTRANO

ORD. MIN. OBSERVANTIÆ

In vnum à Ioanne Baptiſta Barberio Romano breuiter redacta.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD EMINENTIS. AC REVERENDIS.

PRINCIPEM

CAROLVM MEDICEVM

DIGNISSIMVM S. R. E. CARDINALEM DECANVM.

ROMÆ, Typis Angeli Bernabò à Verme. M. DC. LXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

G. Archiep. Patrac. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Seraphinus Bertolinus Socius Reuerendiſſimi Sac. Apoſt. Palatij Ord. Præd. Magiſter.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO
AC REVERENDISSIMO PRINCIPI
CARD. CAROLO MEDICEO.

Ioannes Baptiſta Barberius F.

BEATVS Ioannes à Capiſtrano, cuius oppidani, inter cæteros deuotos E. V. filios benemerentes, tanto gaudent patrocinio, & religione, tantoque benigniſsimi fruuntur Patris amore, fuit ille veluti alter Apoſtolus, qui totas

ferè

Digitized by Google

ferè Chriſtianorũ peragrans partes Diabolico variarum hæreſum veneno miſerabiliter infectas, illas ſuo loco reddens, omnes laborioſiſsimè ad Chriſtum, perpetuo eius Eccleſiæ gaudio, & gloria reuocauit, nec non vbique perfectiſsimum Euangelij ſeminans verbũ, innumera in Deum operatus fuit mirabilia; quæ cum in vnum, accuratè quantum valui, ſtrictè, ac compendioſè redegerim, alia, quàm ſumma E. V. pietate aſſociare nequiens, eidem reuerentèr conſecro, & dico; eoq; magis, quòd, ſicut eiuſdem B. Ioannis gloria apud nos à tãto E. V. Maiore S. recordationis Leone X.

Medi-

Mediceo primã habuit originẽ; ſic ampliſsima Chriſti fidelium Reſpublica tuis efficaciſsimis precibus, piaque munificentia illã ad ſupremum gradum augẽ dam forè, meritò ſibi ſuadet: & ſacram E. V. purpuram obſequentiſsimus deoſculans humiliter veneror.

Digitized by Google

Proteſtatio Auctoris.

CVm Sanctiſs. D. N. VRBANVS Papa VIII die 13. Martij anno 1626. In S. Congregatione S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, ſeu Martyrij fama celebres è vita migrauerunt, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcumq. beneficia, tamquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem Sanctiſſimus die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam, benè tamen ea, quæ cadunt ſupra mores, & opinionem cum proteſtatione in principio, quod iis nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides ſit tantum penes Auctorem. Huic Decreto, eiuſque confirmationi, & declarationi obſeruantia, & reuerentia, qua par eſt, inſiſtendo profiteor me haud alio ſenſu quicquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle quàm quo ea ſolent, quæ humana dumtaxat auctoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur, iis tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.

VITA

Digitized by Google

VITA B. IOANNIS A CAPISTRANO

AETERNÆ prouidentiæ cura, quæ falli non poteſt, fieri videmus, vt inſignes doctrina, & ſanctitate viri, ſiue ad præſidium, ſiue ad ſolatium cæterorum tunc maximè effloreſcant, cum Eccleſiæ Dei neceſſitas aliqua maior ingruit, ac hæreſes inualeſcunt.

Nullum tamen exemplum, ætas alia fortaſſè ſpectauit illuſtrius, quàm quod in clariſſimo Seraphici ſui Ordinis, & Europæ lumine Capiſtranenſi, cui nomen erat Ioannes, præcipuo quodam liberalitatis munere diuina bonitas elargiri voluit.

Digitized by Google

Natus eſt ille in Oppido ſatis lauto, atque opulento, quod Capiſtranum appellant, ex Catholica nobiliquæ proſapia, patre nempè germano nomine Hera, qui Ludouicum Andegauenſem Neapolitana ſceptra recturum in Italiam fuit comitatus; matre verò in eodem oppido Capiſtrani honeſta domo prognata, Vrbano VI. Pontifice ſedente, nec non Venceslao vnico huius nominis Imperatore regnante, anno reparatæ ſalutis 1385. ipſo die immediatè ſequenti feſtum Diui Ioannis Baptiſtæ Præcurſoris Domini tanti Herois futuræ ſanctitatis præſagium, qui nimirum prædicationis conſtantia Præcurſorem Chriſti ſecuturus erat; dum adhuc puerulus orbatus patre, matri iuuenili ætate ſuperſtiti tamquam Euangelicus Præco continentiam vidualem cæpit mirabiliter prædicare, eamque efficaciſſimis verbis, ne alium virum, quàm ſponſum Ieſum caperet inducere.

Hinc mox ob eius ingenij ſubtilitatem paruo temporis interuallo humanioribus litteris imbutus, ad celebrem Peruſiæ vniuerſitatem, vt ibi liberalibus artibus, & canonico, ciuilique Iuri operam daret, ab eius tutoribus atque

que coniunctis deſtinatus fuit; in quibus tantam adeptus eſt facultatem, vt decem ſolùm annorum metà, omnes conſilio indigentes, dimiſſis Doctoribus non mediocriter famoſis, ijdemque Doctores ad Ioannem ſæpè ſæpiùs recurrere ſolerent.

Deinde per frequentes nonnullorum exhortationes inductus, ad celebrem Doctoratus gradum Iuris vtriuſque promotus eſt, ac ſæpè ciuitatum, & Oppidorum regimini præfectus, pater potiùs, quàm iudex in populis habebatur, cum nulli vnquam iniuriam fecerit, nec aliqua valuerit iniuſtitia; ſed pecuniam ſpernens, munera non admittebat, illud vſurpans dictum pro documento, *Munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum. Deuter.* 16. 19. nullumq: quamquam potentiſſimum hominem pro veritate, & iuſtitia pertimeſcebat, digno inter cætera exiſtente exemplo.

Cùm ſemel magna nummorum ſumma à quodam nobili, ac potente viro ipſi fuiſſet oblata; ſi in quemdam ciuem innocuum iniuſtè accuſatum, capitalem ſententiam pronunciare promitteret, & alias ei turpem,

ac propinquam mortem hoc deneganti pol-
liceretur ; Ioannes plus amans iuſtitiam ,
quam auri pondus, timenſque magis Deum ,
quàm minas hominum, conſtantià ſolidus, iu-
dicio rectus , corde animoque intrepidus de
captiui innocentia doctus,ne dum in eũ mor-
tis ſententiam tulit, ſed ſtatim illũ innocuum
iuſtiſſimè declarauit, diuinæ illius admonitio-
nis memor. *Qui iuſtificatis impium pro mu-
neribus,& iuſtitiam iuſti aufertis ab eo. Esa. 5.*
Clarum equidem ſignum veræ ſapientiæ, ac
timoris Dei,quem continuò ante oculos rectiſ-
ſimus Iudex habebat : Qua propter, tàm cha-
rus,& amicus Ladislao illis temporibus Nea-
polis Regi,Peruſiæque dominanti deuenit, vt
ad ſe vocatum præter alias demonſtrationes ,
quas plurimas æſtimationis virtutum,& actio-
num eius faciebat,magnaquæ munera,quæ illi
ſimiliter agebat ; inſuper eum ſuper nonnul-
las illius nobiliſſimi Regni Ciuitates ſuum
Locumtenentem ampliſſima declarauerit po-
teſtate : adeò vt , potiùs frater Regis , quàm
miniſter ab omnibus meritò vocaretur . Id e-
nim merebantur egregia talenta Ioannis , tan-
tus erat amor Principis,& populorum, tanta in

vtro-

Digitized by Google

vtroſq; fidelitas, æquitas, & vigilantia, tanta ſapientia, prudentia, & iuſtitia, quibus omnia ſua peragebat, præſertim in reddendo ſubditos Principi deuotos, ac obedientes, atq; hunc viciſſim in illos clementem, & benignum, cum cæteris ſingularibus virtutibus, quas breuitatis cauſa tacens, tantum dico, quod ſe fælicem arbitrabatur quiſquis ſub eius iuſtiſſimo regimine degere poterat, cum ſimul omnes tàm priuati, quàm Magnates aliud non magis ſtuderent, quam inuenire modum, quo Ioannis noſtri beneuolentiam captare poſſent; Inter quos vir quidam opibus, & nobilitate præclarus filiam habens vnicam paternę ſubſtantiæ hæredem, puellam forma præcellentē, illi in ſponſam obtulit, inſtanter agens, vt eam acceptaret; & ipſe innocens, ac ſupremam ignorans voluntatem illam non tantum non recuſauit, ſed grato animo ſuſcipiens oblationem, quàm primùm eam ſibi deſponſare promiſit.

Deus verò, qui omnia præſentia, & futura reſpicit in cœlo, & in terra, & à quo optimè diſponuntur, quemadmodum iſtum ad fidei propagationem velut alterum Paulum æterno

deſti-

Digitized by Google

deſtinauit decreto; ſic quam erronea ſit mens humana, cum in vbertatibus Orbis ſe firmam eſſe credit, & ſpem in illis collocat, ei oſtendere voluit: Nam atroci bello inter Peruſinos ex vna parte, & Malateſtas pro Ladislao Rege ex altera vigente, is ad treguam ſaltem impetrandam, tamquam vir grauis ad partem aduerſam deſtinatus, ab ea extra Peruſinæ vrbis mœnia inopinatè captus fuit; & Bruſam Oppidum (quarto ab vrbe lapide) ductus, (dominio in iugum ſeruitutis commutato,) & compedibus inibidem conſtrictus, fuit obſcuro carcere recluſus, vbi hactenus deinde in honorem, & commemorationem tam fœlicis captiuitatis illa die ſingulis annis maxima celebratur feſtiuitas.

Ioannes interim diutiùs in his miſerijs permiſſus, nullam amplius ſpem habens in Ladislao Rege, cuius partem agebat, vt eum aliquo modo ob durum inimicorum eius animũ redimere poſſet, plus amans libertatem, quàm propriæ vitæ periculum timens, fugam tandẽ meditatus eſt; nec ſe ab aliquo obſeruari ſibi ſuadens, per turrim nocturno tempore ſe præcipitans, illam arripuit; at incidit in Scyllam,

cre-

Digitized by Google

credens euitare Charybdim, dum compedum impedimento, manibus ambulans, iter amplius celer ſequi non valens, ab agricola recognitus, ac validiſſima patefactus acclamatione, iterum capitur, & ad tenebroſum tutioremque carcerem reducitur, pluribuſque nec non vigilibus, grauioribuſq; vinculis cuſtoditur, nec alio quàm panis, & aquæ parco victu innocens ſuſtentatur.

Hinc omni humana ſpe capiendæ amplius fugæ fruſtratus Capiſtranus, Cœleſtem prudens Liberatorem inuocans, vt libertatem ei tribuere dignaretur, exauditus liber effectus eſt, ſic expertus: *Melius eſſe ſperare in Domino, quàm ſperare in Principibus*, *Psalm.* 117. Nam in eadem turri iuxta ipſius piam ac quotidianam conſuetudinem Deiparę Virginis, ac immaculatæ Mariæ officium recitanti, vir quidam Ordinis Minorum habitu indutus, nec non cœleſti, lucidiſſimoque ſplẽdore circumdatus in aere apparens, ſic eum alloquutus eſt: *Quid stas? quid moraris, quid præſtolaris ſuperbè? Dei monitis obsequere, & internis vocibus acquieſce;* Cui Ioannes horrens, *quid vult Dominus vt faciam?* ad quem

ille

ille: *Nonne vides, quid Deus de te facere ſtatuit, non ne cernis habitum iſtum, quem defero? hunc ſuſcipe, mundum, quem fallaciſſimum probaſti, relinque, & religionem ingredere;* Ad quæ mœſtus Ioannes. *Durus* (ait) *eſt hic ſermo; in claustro viuere, & libertatem perpetuò abdicare, nunquam ego de his iam cogitaui; attamen Deo præcipienti obsequendum erit.* Et ſic cœleſti lucidaque diſparente viſione ſolita tenebrarum carceris rediјt obſcuritas, vbi poſt nonnullas mentis, & corporis agitationes, confuſione repleto, corpori quietem aliquantulum indulgenti, fuit ipſi manu cœleſti caput mirabiliter more Franciſcanorum Religioſo detonſum, quod cum experrectus perſenſiſſet. *Durum est* (inquit) *contra stimulum calcitrare; Act. 9. Dominus ipse est Deus, omnia quæcumquæ voluit, fecit Psal. 113. Mirabilis facta est scientia eius, ex me confortata est, & non potero ad eam, nihil hic amplius sperandum.* Et lachrymis non paucis ex eius oculis ob dolorē peccatorum emanantibus, ſæpè repetens mea culpa, mea culpa, totum Deo, ac Diuo Franciſco firmum iam ſe obtulit, & vouit, ac veſtem more Franciſcanorum proprijs manibus

bus formans, & magis, atque magis in lachrymis, & ſuſpirijs contrito proſequens corde, illa indutus fuit; verùm cùm res ad Preſidianorum aures primùm perueniſſet, ſtratagema hoc eſſe ſibi ſuadentes, ſubrident omnes, dicentes in vanum laborat iſte, ac aſtutiæ cordis eius ad libertatem impetrandam minimè valent: poſtmodum tamen animaduertentes (pro vt Deo placuit) non ſimulare Ioannem, ſed firmiter in oratione, & deuotione, patientia, & humilitate perſiſtere, maxime quodam fratre eiuſdem Ordinis vita, & moribus eius venerabili noto comprobante, ſoluta pecunia dimisère. Liber itaque effectus Ioannes loco amicis dicendi ſalutem (relicta ſponſa Virgine, ac pauperibus opulentiſſimo patrimonio diſtributo) Peruſiam reuerſus eſt, ac ſanctè cogitans, *quod reſpexit Dominus in orationem humilium, & non ſpreuit preces eorum*, *pſal. 101*, ſordida indutus veſte, mitra papyracea ipſius depicta peccatis in honorem, & commemorationem coronæ ſpineæ Sanctiſſimi Redemptoris noſtri coronatus, vilique ſubuectus aſello, mundum ſpernens, opprobria cupiens, velut inſanus, ſed prudens totam circuit

Digitized by Google

Ciuitatem veniam ab omnibus petendo: quē ita mutatum videntes qui eum priùs optimè nouerant, aliqui in riſum, alij in ruborem, & admirationem, alij in amaras lachrymas, & ſuſpiria mouebantur; quidam verò diuina ignorantes, *& insensati vitā iuſtorum æſtimantes insaniā ſap.* 1. vituperantes, ac deridentes lapidibus, ac luto Ioannem in Domino lætantē replebant, eumq: tam inexſpectato ſpectaculo commoti (magno elato tumultu) in iudicium tamquam reum, & ſi innocentem, deduxerunt, & ipſe à Iudice ſuper omnibus illis in papyro deſcriptis interrogatus, hilariter, ac reuerenter reſpondit. *Maximus ſum peccator, taliaque sunt scelera mea, vt eōrum minimum atrociſſima omnium tormentorum genera mereretur*, quo factum eſt, vt Iudex, & alij, qui priùs ipſum tanquam dementem ſpreuerunt, tanto deuotionis feruore in admirationem inducti, & à Deo illuminati deinde vnanimiter, virum ſanctum acclamare cœpiſſent.

Ioannes autèm ſæculi contemptor, Dœmonis victor, ac tryumphator, omnibus vale dicens, ad Conuentum Peruſinum Regularis Obſeruantiæ S. Franciſci in Monte perrexit,

&

Digitized by Google

& poſt aliquas repulſas, ad maiorem tamen ipſius conſtantiæ comprobationem fictas, trigeſimo ætatis anno ad Ordinem lætus admittitur, eodemque tempore diſciplinæ cuiuſdã fratris laici Onophrij de Seggiano auſteri quidem, ſed vitæ probitate, & religioſa conuerſatione inſignis viri traditus, Chriſti miles efficitur: quod magno cum ſtupore, ac admiratione percipientes omnes, præcipuè vero eius; iã relicta ſponſa credens eum à tam ſancto propoſito reuocare poſſe, clauſtrum feſtina petijt, ſuperiorumque aſſenſu ad maiorem Capiſtrani probationem cum illo loqui permiſſa fuit: apud quem quantæ eſſent lachrymæ, qualiaque verba, & perſuaſiones mulieris, vt priſtinum reciperet ſtatum, quemlibet iudicare poſſe mihi ſuadens prętermitto.

Conſtans tamen Chriſti confeſſor fallacibus non amplius indulgens blanditijs, non ſolum eius precibus nil perturbatus fuit; ſed etiam doctus de pretioſiſſimo virginitatis theſauro, ad hunc perpetuo cuſtodiendum eam efficaciter erudire cœpit: ita vt quempiam alium, quàm ſupremum Dominum noſſe velle diſtrictè illi pollicita fuerit, cuius promiſſioni-

Digitized by Google

bus vti futurus Propheta paruam,ſeu nullam fidem habens, inſtabilitatis muliebris non ignarus, pœnam grauem illi ſi contra ſponſionem ageret, verè prædixit; nam promiſſionis, & documenti penitùs oblita, non citiùs miſera in alium ſe contulit maritum, quàm horribili lepra repleta, ab ea denique conſumpta fuit.

Suſceptus igitur ad ordinem Ioannes, ita ſe gerebat, vt cæperint omnes inter ſe de eius ſingulari deuotione, ac pœnitentia, non abſque cauſa, mirum in modum admirari, eique meritò futurum prædicere ſanctitatem, prima quippè vice, qua religioſus ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſuſciperet ſacramentum, nec cibi, nec potùs genus aliquod per triduum guſtare voluit, immaculatam crebrò inuocans Mariã, animo Chriſti paſſionem intuens, pectus amarè percutiens, ac maximis ſuſpirans gemitibus genas, terramq; lachrymis reſpergebat; quod cùm alij notaſſent, gratias Deo agentes ſummoperè lætabantur.

Magiſter verò prudens, & expertus Diaboboli timens aſtutiam, ne aliquid vanę gloriæ mentem Ioannis occuparet, quamlibet eius (li-

cet

Digitized by Google

cet laudabilem) actionem crebris diſciplinis, ieiunijs, alijſque mortificationibus, & pœnitentijs cum verbis aſperrimis plectebat, maximè cum aliqui ciues ab eo poſt accepta conſilia, & ſacra monita recedebant ſic ipſum increpans: *O ſuperbe iam te aliquid eſſe credis? cur non manebas in ſæculo, ſi huiuſmodi vanitates ſequi volebas;* aliaque his ſimilia iu eum proferebat, quæ humilis tyro genuflectens ſumma tollerans patientia, culpam ſibi libenter adſcribebat, ſæpe dicens cum Apoſtolo: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra, ex Deo eſt;* imò ſæpiùs, vt magiſtrum, aſperiores illi iniungeret pœnitentias inſtanter deprecabatur, tantum ei inerat deſiderium Deo inſeruiendi, & pro illo aliquid acrius libentiſſimè patiendi, cùm talem ſemper ſe præbuerit quadam pręſertim vice bulliente aqua, vt panni, more Religionis, lauarentur; dum laicus aduocans eum, & coram alijs nouitijs pannum in fundo illius aquæ exiſtentem manibus eximere iuſſit; ac res mira, non citiùs verba alioquin inhumana pronunciauit ille, quam hic ſollicitus diuini ſpeciali impulſu ſpiritus edo-

ctus

ctus, nec bullorem metuens, nec ignem, obedientiæ virtuti confiſus, & recogitans; *quod verus obediens mandatum non procraſtinat, sed ſtatim aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi parare, & ſe totum colligere debet, vt mandatum peragat imperantis*, iniecta in bullientem lebetem dextera abſque vlla offenſione aquæ vel ignis, maxima ſpectantium admiratione, mandatum executus fuit: ipſius autẽ obediendi promptitudinem, & magnam obedientiæ vim in eo mirabiliorem reddidit aliud exemplum: nam poſt tot acerbitates, ac pœnitentias, ieiunia, ac diſciplinas, aliaſque ſimiles, immò aſperiores mortificationes, maximis ſemel laborans febribus, & ad extremum fermè ſuæ vitę ductus, à medicis iam deſperatus, omnibuſque ſacramentis pro morientum vſu initiatus, nec amplius cibum ſumere valens, aquæ bullientis crateram, quam nemo in manibus ob caloris vehementiam ſufferre valebat, iuſſu præceptoris abſque aliquo glutiens mœtu, non ſolum nullum in eo ſignum combuſtionis apparuit, ſed illicò mirabiliter integram recepit ſanitatem; & rigidiſsimo eiuſmodi nouitiatus anno completo

pari

Digitized by Google

pari eius gaudio, omniumque fratrum ſpiritua li conſolatione, maximis iam ſanctimoniæ iactis fundamentis, ſolemnem Ordinis profeſſionem emiſit.

Emiſſa ergò profeſsione, & ex rigida nouitiatus egreſſus clauſura, aliquantulę remiſsionis, & animi recreandi loco, auſteriorem amplectens vitam, ex humili humilior, ex deuoto deuotior, & ex admirabili admirabilior effectus, prælatis obedientiam, cæteris reuerentiam præſtans, humilis in verbo erga omnes, in oratione ſedulus, pecuniam ſpernens, dignitates fugiens, erga cunctos miſericors, parciſsimus in cibo, & potu, ſemel in die aliquantulum panis, & aquæ tantum comedens, crebris macerans corpus diſciplinis, illudquæ in ſeruitutem redigens, nudis ſemper ambulans pedibus, ſtrictè habitans, rudi veſte indutus, circulum ferreum, ciliciumque ferens, humi breuiter cubans, integras plures vigilans noctes, ſacris literis intentus, totuſque charitate, & humilitate munitus, domum ſcopis verrebat, ſcutellas, cæteraque coquinæ vaſa abluebat, ac omnibus laborantibus feſtinè, ſpõtè, ac libentiſsimè ſuccurrebat, infirmiſq; fratribus

tribus

tribus ſic ſedulò, & frequenter inſeruiebat, vt à cęteris paſsim valetudinarij cuſtos appellaretur; quod cùm aduerteret infernalis hoſtis noſter, quanto magis eum ſibi aduerſum conſpiciebat, tanto ampliùs expugnare contendebat: *Eos enim pulsarè negligit, quos quieto iure se poſſidere sentit*. Ioannem continuo in precibus, ac Dei præſentia occupatum diſtrahere ſatagebat; aliquando enim ſacrario præfectus cùm nocturno tempore ſe flagellãdo pſalmos pœnitentiæ interim deuotiſsimè caneret, Dœmon illi ſonitu, ſtrepituque horrendo comparuit; cui fortiſſimus Chriſti miles, *tuas* (inquit) *non timeo inſidias, neque enim quidquam in me poteris, niſi desuper tibi permittatur; quod ſi quidpiam ex Dei voluntate inferas, patienter feram;* dùm aſperioribus verberibus corpus caſtigare, pſalmoſque ferueutiùs pergeret recitare, confuſus inde ſuperatuſque Dœmon aufugit;

Capiſtranus verò paucis poſt profeſsionem menſibus, ſuſcepto ſubdiaconatus ordine, prædicationis officium ad populum exercere iubetur, ac tantum breui tempore ſub magiſterio S. Bernardini in ſacris litteris, ac Theolo-

giæ

Digitized by Google

giæ ſtudio profecit; vt cæteris demirantibus, Diuus ipſe diceret Præceptor, *in quo alter diù, noctùque vigilans laborat, Ioannes dormiens apprehendit*; Neque hic eius profectus, ſeu naturali ingenio, ſeu propriæ ipſius diligentiæ, quibus alioquin excelluit, vſque adeò attribuendus eſt, quin maiori ſui parte, & cœleſti dono, & peculiari Dei gratiæ referri debeat. Ioannes enim animarum ſalutis procurandæ percupidus, ſpem omnem in Deo ipſo, ac Deipara Virgine Maria collocauit: cùmque ſemel ſe ipſum, ſuaque omnia diuinæ gratiæ Matri, eiùſque filio deuotiſſimè commendaret, ipſa Beatiſſima Virgo vna cum Deo Filio apparuit illi, propinauitque calicem cæleſtis liquoris, ex quo ille copioſiſſimè cœleſtem illam hauſit doctrinam, qua deinceps admirabili fructu ignorantes erudiebat, peccatores conuertebat, hæreticos conuincebat; tantoq; populorum applauſu, vt durantibus fructuoſiſſimis eius concionibus, quibuſcumque licet grauiſſimis negocijs, & opificum laboribus intermiſſis, clauſis apothecis, ac ſi ſolemne aliquod feſtum ageretur, ad angelicam ipſius audiendam vocem omnes

vndique confluerent, adeo vt, ob multitudinem populi, quem nec ampliſſima templa capere poterant, in publico foro, & excreſcente multitudine auditorum quandoque etiam in campo, maiori ſemper applauſu, omniumque tàm peritorum, quàm idiotarum, tàm nobilium quàm ignobilium profectu prædicare cogeretur, ſæpè repetens cum Euangeliſta vt in ſancto propoſito conſtantiùs perſeuerarent: *Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud*.

Ordine deinde ſuſcepto ſacerdotij; cùm perniciosiſſima Fraticellorum hæreſis in Deũ blaſphemans, ſummoque Pontifici Romano eiuſque auctoritati, & ſacro Minorum Ordini, quem nulla legitima profeiſſione, vafre ſimulabant iniurioſa, in Piceno graſſaretur: Martinus Quintus Pontifex tanto malo remedium poſiturus, ex omnibus Capiſtranum verbo, & opere potentem ad id elegit, & Inquiſitoris plena poteſtate munitum, gladioque ſpiritus, fidei zelo, doctrina, & vitæ ſanctimonia præſtantem in Chriſti, & Eccleſiæ, ac Seraphicæ ſuæ Religionis hoſtes emiſit: aduerſus quos is igitur tam ſtrenuè, & ſapienter hanc prouin-

ciam

Digitized by Google

ciam eſt executus, vt pernicioſiſſimam ſectam, quamuis integra Maſſarij, Podij, Nerali, Meliorati, aliaque oppida, magna hæreticorum multitudine, & potẽtia penitus occupaſſet, his oppidis, ac tota prouincia pepuliſſet; parte ipſorum ſana doctrina ad veritatis lumen reducta, parteque alia iuſtis punitionibus extincta, & aliquibus ex oppidis ipſis ad aliorum exemplum, peſſimæque hæreſis deteſtationem in cinerem redactis, nè repullulandi anſam hæreſi relinqueret; nihil contraualentibus aduerſus Capiſtranum inſidijs, præcipuè in oppido Maiorata ſtratis, dum quingentos ducatos quibuſdam, vt illum trucidarent, polliciti fuere; ſed fruſtra, cùm frequens ac peculiaris Dei prouidentia ipſum ſemper tàm à venenis, quæ pluries illis porrexerant, quam à cæteris hæreticorum artibus perfidiſque machinationibus liberaſſet.

Reuerſus inde Romam maxima cum gloria Capiſtranus, & ad ſanctorum Summi Pontificis pedum deoſculationem accedens, quàm gratus Pontifici Martino fuerit, id ſaltem ſatis indicat, quòd præter plura, variaque erga illum beneuolentiæ ſigna ad maiorem, ac

Digitized by Google

publicam demonſtrationem illius opinionis, quam de ipſius virtute, & ſanctimonia habebat, Generalem eum illico contra quoſcumque hæreticos, & Hebræos Inquiſitorem declarauerit; eodemque tempore ad conciliandum commotos Reatinorum, & Cantalicienſium animos eum deſtinarit: inter quos tantum erat odium, vt continuò ſe mutuò mactarent, & quadringenti iam vtrimque fuerint interfecti; quod audiens Capiſtranus ne tardus executor mandati redderetur Pontificis ſanctiſſima obedientiæ virtute, & maxima fide munitus, ſe viæ Reatem verſus commiſit, ac Deo diſponente vtrique populo mirabilis, ac reuerendus illicò factus eſt: in ipſo etenim Reatinæ Ciuitatis ingreſſu horrendus, ſed prodigioſus accidit caſus, vt Cantalicienſis à Reatino in capite lethaliter percuſſus, per Chirurgos, & Medicos ex vulnere mortuus iudicaretur, quod videns Capiſtranus feſtinanter ad vulneratum ſeu mortuum acceſſit, eiuſque congelatum ſanguinem, nec non cerebrum in terra reſperſum proprijs manibus colligens, illud in craneum magno hiatu ſciſſum reponens, & diuiſas capitis partes manibus leniter

con-

Digitized by Google

conſtringens ait: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſurge; & ambula, & gratias age Deo*, & benedicens illi, ſola remanente cicatrice, è faucibus mortis (omnibus admirantibus & miraculum acclamantibus) perfectè ſanum ad vitam ſubito reuocauit.

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, dum vno facto occiſi hominis vitam reſtituens, futuram (authore Capiſtrano) animorum vnionem prodigioſa illius capitis vnione, præmonſtrauit, atque hoc facto Diuinæ Maieſtatis ſuæ, ſuique in terris Vicarij Martini Pontificis Miniſtrum, adeo mirabilem ac venerandum vtrique diſſidentium parti reddidit, vt tali ac tanto miraculo per illa loca celebrato, omnes, præſertim Cantalicienſes redditi omninò ſecuri, beatum Patrem ipſorum ſaluti, & indemnitati proſpecturum, abſque vllo certæ alioquin mortis, aut eius periculi timore in acie conſtituti, Reatinæ Ciuitatis ingreſſum tentarunt; vnde hoſtes aliquid magni mali ſibi metuentes, crudeli certamine illos excludere pararunt, vbi interpoſuit ſe Capiſtranus, & vt omnibus pro concione quidpiam dicere poſſet, tantilli ſaltem temporis inducias impetrauit, iſtoque themate maximo cum feruore

præ-

Digitized by Google

prædicare cœpit: *Sciatis omnes quod vbi pax & ibi Deus eſt, vbi bellum & ibi Dæmon adeſt;* inquit, *ergo Dæmon accede, vt videant hi populi, quis, & qualis ipſis dominetur*: Nec citiùs ille iuſſit, quàm Dei nutu ad ſerui ſui mandatum longè terribilis, & flammis circundatus apparuit inimicus Chriſtianæ charitatis, & perturbator pacis, cuius formidabili aſpectu omnes perterriti, alta, & vnanimi voce vtrinque clamare cœperunt, *Miſericordia, Miſericordia! Pax, Pax, Pax Domini ſit semper nobiscum, miserere noſtri Domine, miserere noſtri*. Quemadmodum reciproca coram Deo per illos iurata pace, Beatus vir, hoſtem infernalem repellens, adeò contra illos exclamare cœpit, vt eorum cordibus ſummòpere emollitis, vnuſquiſque ſua peccata amariſſimè deplorans, maximo, veroque pœnitentiæ dolore ad eius pedes prouolutus propriam culpam ſoluere curaſſet; quod cum ad aures Martini Pontificis perueniſſet, mandauit Cardinali Iordano ſuo Vicario, vt ſtatim Breue Apoſtolicũ expediret Capiſtrano cum facultate abſoluendi quoſcumque à quolibet peccato Epiſcopis reſeruato, prout ex eodem Breui hic deſcripto manifeſtiùs apparebit.

Ior-

Digitized by Google

Iordanus miſeratione diuina Epiſc. Albanenſis.

Religioſo viro Fratri Ioanni de Capiſtrano Presbytero profeſſo Ord. Fratrum Min.

GRata tuæ deuotionis obſequia, & ſolicita cura quibus erga Chriſti fideles, & pauperes ac pœnitentes, qui ad te vndique confluunt indefeſſè & te quotidiè occupant, non immeritò depoſcunt, vt Apoſtolicæ Sedis munificentia ſe exhibeat erga te liberalem. Hac igitur conſideratione inducti, & per hoc tuam volentes honorare perſonam, de cuius circumſpectione plenam in Domino fiduciam obtinemus authoritate Domini Papæ, cuius Pœnitentiariæ curam gerimus, & de eius ſpeciali & expreſſo mandato ſuper hoc viuæ vocis oraculo nobis facto diſcretioni tuæ committimus, quatenùs tibi, & vni alteri duntaxat idoneo, & diſcreto Presbytero profeſſo dicti Ordinis, per te eligendo, liceat confeſſiones quorumcumque hominum, vtriuſque ſexus ad te & eumdem tuum ſocium ad confitendum venientium audire, ipſoſque à caſibus & peccatis Epiſcopis duntaxat reſeruatis abſoluere, & eorum cuilibet pœnitentiam ſalutarem iuxta qualitatis exceſſum iniungere: quodque ſi quibus ob præmiſſa ad ſatisfactionem tenentur obnoxij, ſatisfaciant competenter: Præſentes inde tibi litteras noſtro ſigillatas ſigillo in teſtimonium duximus tibi concedendas. Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos

ſtolos

ſtolos V. Idus Iulij Domini Martini Papæ Quinti an. 8.

Hinc tanti viri ſapientiæ & ſanctitatis fama vndique diuulgata ſub anno 1427. à Ioanna Regni Neapolitani temporibus illis Regina Secunda vocatur, vt Hebræorum in illo Regno exiſtentium vſuras, necnon illicitos contractus reprimeret, ac eiuſdem Regni Chriſtianis viam ſolutis æternæ iuxta tenorem ſequẽtis facultatis ab ea ſibi tributæ prędicaret.

In Regiſtro Reginæ Ioanna Secundæ 1423. ind. pr. fol. 109.

IOanna Secunda Regina, &c. Venerabili & Religioſo viro Fratri Ioanni de Capiſtrano Seraphici Ordinis Obſeruantiæ Minorum deuoto Oratori, & fideli noſtro dilecto gratiam & bonam voluntatem. Nouiter ad noſtrum peruenit auditum, quod Hebręi ſeu Iudęi Regnicolæ, & qui ad Regnum confluxerunt, perſiſtentes in eorum cordis duritia, pertinacia & prauitate exercent vſuras, plurimaque alia eis vetita & prohibita per iura, conſtitutiones & capitula Canonica, Eccleſiaſtica, Imperialia, Regalia & Ciuilia exercent & faciunt, nec non & ſignum Thau, aliaque inſignia, quę per Hebręos portari inſtituta ſunt, per eos non deferuntur in contemptum Patris & Filij & Spiritus Sancti, Orthodoxaque fidei, ſacroſanctæque Romanę Eccleſię, vilipendiumque Imperatorum, Regum, & Principum, eorumque legum, ſanctorum Inſtitutorum & Canonum, quod moleſtiſſimè cruciauit & pugnauit men-

mentem noſtram, ſuper qua volentes ſalubriter prouidere, confiſa de tua deuotione & charitate, qui ſicut plurium fide dignorum relationibus & ſcripturis percepimus, ac viſu & auribus proprijs vidimus, & palpauimus, verbo, & opere imitaris veſtigia Ieſu Chriſti, & cuiuſuis ore bonum ſementem ſeri & meliorem fructum colligi ſperamus in Domino. Ipſi tuæ deuotioni tenore preſentium de certa noſtra ſcientia liberam, omnimodam, & plenariam licentiam & poteſtatem concedimus, quod præſentium vigore poſſis & valeas prohibere, & expreſsè præcipere oretenus, vel in ſcriptis, aut per Nuncios ſpeciales ex culminis noſtri parte vniuerſis, & ſingulis Hebræis, tàm Regnicolis, & qui vſque nunc ad hoc Regnum noſtrum confluxerunt, quàm qui ex nunc in anteà confluent ſub pœnis acribus, & formidalibus prudentię tuæ viſis, in quas, ſi ſecus fecerint eos ipſo facto, & ipſo iure decernimus incuriſſe, contra eos abſque miſericordia infligendis, & ab eis irremiſſibiliter exigendis pro curiæ noſtrę parte per quoslibet officiales noſtros præſentes, & futuros & Locumtenentes eorum, ad quos pro præmiſſis recurſus habebitur abſque noſtris, vel alterius cuiuſcumque litteris & mandatis: vt de cętero nullo vnquam tempore, nec debeant exercere vſuras, neque facere alia quæcumque eis vetita, denegata, & prohibita per iura legis, canones, inſtitutiones, & capitula tàm canonica, quàm Eccleſiaſtica, Imperialia, Regalia & Ciuilia, nec non & quod deferant, ſeù deferre debeant ſignum Thaù, & qualibet alia inſignia, quæ per Hebręos aut Iudeos deferri debeant ſecundum iura prædicta, qui

de contrario caueant, ſicut noſtram gratiam habeant caram, noſtramque indignationem & prædictas pœnas per te imponendas cupiunt euitare, legibus, iuribus, conſtitutionibus & capitulis editis, ſtatutis, vſibus, moribus, conſuetudinibus, obſeruantijs, litteris, priuilegijs, reſcriptis, cedulis & mandatis tam per claræ memoriæ Dominos Reges, & Reginas prędeceſſores noſtros, & præſertim Dominum Regem Ladislauum Reuerendum Germanum noſtrum, quàm per noſtrăm celſitudinem, & quoslibet noſtros Officiales & ſubditos, atque vniuerſitates cuiuſcumque ſtatus, gradus, dignitatis, præminentiæ, et conditionis exiſtant factis, et impoſterum faciendis ſub quibuſuis tenoribus ſiue firmis et pro quibuſuis conſiderationibus, atque cauſis, quibus omnibus, et ſingulis earumdem tenore præſentium de dicta C. N. S. motu proprio, & plenitudine noſtræ Dominicæ poteſtatis totaliter derogamus, ac derogatum eſſe decernimus. volumus & mandamus non obſtantibus quoquomodo. Mandantes nihilominus eorumdem tenore preſentium de dicta C. N. S. prefatis Hebręis ſeu Iudęis ſub pœna confiſcationis omnium ſuorum bonorum, mobilium & ſtabilium, in quam, ſi ſecus fecerint eos ipſo facto & ipſo iure decernimus incurriſſe contra eos abſque miſericordia infringendis quatenùs omnes, & ſingulas litteras & priuilegia originalia eis per dictos Illuſtres Prędeceſſores noſtros & noſtram Maieſtatem, vt præfertur conceſſas et conceſſa, facientes et facientia contra noſtram mentem pręſentium litterarum tibi vel dictis tui nuncijs ad hoc deputandis ad omnem tui vel dictorum deputandorum

requi-

requiſitionem debeant aſſignatè per te lacerandas, vel ignis incendio concremandas omni mora cauillatione, exceptione et excuſatione remotis, et de contrario caueant, ſicut prędictam pœnam cupiunt euitare: Et intendentes ordinanda et ſtatuenda per te in pramiſſis perpetua validitate perſiſtere, tuę deuotioni per preſentes de dicta noſtra ſcientia, motuque proprio, verbo, et fide Regalibus promittimus et firmiter pollicemur preſentes noſtras litteras, et huiuſmodi per te ordinanda et ſtatuenda ſuper pramiſſis, vt pręmittitur, nullo vnquam tempore quouis modo in toto, vel in parte reuocare, nec vllo vnquam tempore derogare, nec aliquid in contrarium directè, vel indirectè, aut aliter quouis modo facere, diſponere, aut concedere, et ſi forſan aliquid ex pręmiſſis per nos fieri contingat id ex nunc decernimus irritum et inane, ac per inaduertentiam, vel obliuionem, et ordinanda in pręmiſſis inuiolabiliter obſeruentur. Ecce Magiſtro Iuſtitiario Regni noſtri, vel eius Locumtenenti, ſeu Regenti Curiam Vicarię, ac Iudicibus magnę et ipſius Curię Vicarię, nec non Vicem gerentibus, Iuſtitiarijs, Capitaneis, cęteriſque Officialibus, maioribus, et minoribus quocumque nomine nuncupatis, ac officio et iuriſdictione fungentibus, eiuſque locumtenentibus, necnon Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, et Vniuerſitatibus, Ciuitatum, Terrarum, Caſtrorum, et Locorum vbilibet in noſtri Regni conſtitutis ad quos preſentes peruenerint et ad infraſcripta fuerint requiſiti praeſentibus, et futuris quatenùs in forma praeſentium diligenter attenta et inuiolabiliter obſeruata omnia, et ſingula huiuſmodi per te

in præmiſſis oretenùs, vel per tuos nuncios, vel per tuas litteras ordinanda, vel ſtatuenda tenaciter, vel effectualiliter debeant obſeruare, obſeruarique facere et mandare, tibique et dictis tuis nuncijs in præmiſſis et circa præmiſſa defendentibus, emergentibus annexis et connexis et eis facere et aſſiſtere ope, opere, auxilijs, conſilijs, & fauoribus opportunis, nec non & ſi prædictos Hebræos ſeu Iudæos tàm Regnicolas, et qui ad hoc Regnum confluxerunt, quam illos, qui ex nunc in anteà de cętero in perpetuum confluent ſecus fieret in præmiſſis, vel in aliquo præmiſſorum aduerſus huiuſmodi contra facientes, procedant ad inflictionem et exactionem pœnarum prædictarum pro Curiæ noſtræ parte abſque remiſſione et miſericordia aliquali nullis alijs noſtris vel alterius cuiuſcumqut litteris, cedulis et mandatis propterea requirendis, nec contrarium faciant, ſicut habent gratiam noſtram caram, vltimam indignaticnem cupiunt euitare. Præſentes autem litteras etc. tibi in præmiſſorum teſtimonium duximus dirigendas, et etiam concedendas. Quas etc. Ritu etc. Datum in Caſtro noſtro Auerſa Anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſeptimo, die tertio menſis Maij, quinto Idus, Regnorum noſtrornm Anno decimotertio.

Cui operi dùm magno fidei Catholicæ incremento, & ipſorum emendatione, animarumque fructu, peculiari etiam Summi Pontificis intenderet mandato, allato nuncio, percepit, Diuum Bernardinum Senenſem, amantiſſi-

tiſſimum ſuum Præceptorem iniuſtè, & fraudulenter apud ſummum Pontificem accuſatum fuiſſe, dum cæteros ad cultum, ac venerationem Sanctiſſimi Nominis Ieſu in cunctis concionibus ſuis hortaretur, quemadmodum in Sanctiſſimi Magiſtri auxilium accurſurus, ſermonum ſacro dimiſſo miniſterio, Aquilam Aprutij ciuitatem acriùs abijt; vbi ſacratiſſimum incarnati Dei nomen radiorum ſplendore circumdatum ſuper tabella accuratiſſimè depingi faciens, eius venerationem, & adorationem cunctis ſummopere in concione habita commendauit, ac maximo cum ciuium dictæ Ciuitatis Aquilanæ comitatu ſe Romam contulit, omnibus vndique miraculoſiſſimum nomen collaudantibus, & ſacrum hymnum concinnentibus; *Nil canitur ſuauius, nil auditur iucundius, nil cogitatur dulcius, quam Ieſus Deì Filius, quippe mel eſt in ore, in aure melos, in corde iubilus, ad cuius lumen nubilum omne diffugit, redit ſerenum.*

Ad Vrbis Romę portam Capiſtranus appulſus, explicato tanti nominis vexillo ſuper haſta in altum eleuato, omni maiori gaudio, & iubilatione, eodem cantu per mediam incedens

dens vrbem, creſcente interim pij populi ſequela, ad Vaticanum proceſſit; quòd cùm ſummus Pontifex non abſque admiratione cõſpiceret, tanta populi pietate commotus, Cardinalibus pro ſequenti die conſiſtorium ſuper hoc intimari iubens, Capiſtranum eius opinionem auditurus aduocauit, eique facultatem pro Bernardino dicendi, eumque propugnandi in certamine habendo tribuit: illamque Beatus tàm ad exaltationem Sanctiſſimi Nominis Ieſu, quàm ad propugnationem amantiſſimi ſui Præceptoris libentiſſimè ſuſcepit.

Congregatis igitur Ciuibus, aduocatis Prelatis, ordinato circulo, æmulis adſtantibus vna cum Pontificis, eiuſque fratrum Cardinalium aſſiſtentia, afferuntur obiecta, ac ſuper illis per detractores Bernardino aduerſantes fiunt argumenta, quibus poſtquam Innocens accuſatus optimè reſpondit, & ſatisfecit, libuit ſanctiſſimo Capiſtrani quoque doctrinam audire, prout ei locum dedit reſpondendi; cuius reſponſis & concluſionibus ita confuſi ſunt æmuli, vt demirantibus omnibus, nullus in tanta vrbe, talique circulo tantæ doctrinæ auſus eſt contradicere vel reſpondere, quamuis octua-

ginta

Digitized by Google

ginta ſeptem Bernardini adeſſent aduerſarij, tanta erat Capiſtrani ſcientiæ irradiatio, tantumque intellectus acumen, & fortitudo. Quapropter per Pontificem magno ſuo gaudio fama in integrum Diuo Bernardino reſtituta, nec non iuſtiſſima Capiſtrano gloria vnanimi voce tributa, omnes inuicem maxima cum deuotione, & veneratione ſacrum nomen adorarunt: inſtituta ſiquidem, iuxta Pontificis decretum fuit ſolemnis per vrbem proceſſio, elato inuictiſſimi Ieſu Nominis vexillo, & indictæ per templa conciones, conceſſo, ſeu iuſſo potiùs prædicatoribus, vt eius venerationem, & cultum populis iuxta Bernardini, & Capiſtrani ſententiam ſuaderent.

Interea Capiſtranus Aquilam, vna cum eodem magnifico remeans comeatu, magiſtri ſui Bernardini innocentiam, & excellentiam eo faciliùs omnibus perſuaſit, quò tunc maiori, ſanctiorique authoritate Sanctiſſimi nominis Ieſu cultum prædicare potuerit, idque tanto præſtitit feruore, vt, adiuncto miraculo, aperto Cœlo Dœmones validiſſima voce, vt illud venerarentur, adduxiſſet, illique parentes horribili variarumque beſtiarum forma viſibiliter

acce-

Digitized by Google

accedentes, inclinatis capitibus, terribilibus vocibus, & nutibus gementes, ac mugientes, mirabiliter coram adſtantibus adorarunt, & venerati ſunt; ad cuius miraculi manifeſtum argumentum, aliaque, per quæ ad Sanctiſſimi nominis inuocationem plurima pijs cœleſtia reſpondebant beneficia, tanta in populis creuit eius veneratio, vt omnes ferè Chriſtianorum reſpublicæ, vrbes, & oppida, quælibet ad ſuæ ipſius à quibuſcumque periculis, & calamitatibus defenſionem, ſacros illos caracteres in porticis tàm publicis, quàm priuatis, maximè verò Florentiæ, ac Senarum Ciuitates, quòd, viſu expertus, atteſtari valeo, appoſuère; nec alio antidoto ſub anno 1656. à quacumque calamitate, & peſtifera lue tunc temporis regnante ſe liberare valuerunt, ac liberi ad perpetuam Dei gloriam effecti ſunt.

Cùm verò ſub anno 1430. Ordinis Diui Franciſci diſciplina in aliqua parte diſſolui viſa fuerit, Capiſtranus tantis malis compaſſus, Deum imprimis precabatur, vt omnium miſerens, illorum corda compungere dignaretur: Omnes deinde exquirens modos, per quos vnionem ac reformationem inducere poſſet,

Marti-

Martinum adijt Pontificem, cui relaxationem diuiſionemque ordinis, ac pericula, quæ ex ipſis ſequi poſſent, ad plenum referens, ab eo humiliter poſtulauit, vt in ijs Sanctitas ſua prouidere vellet, quatenus & regula ab omnibus in Ordine ſeruaretur, & vnio inter fratres haberetur, cuius viciſſim petitioni tanquam ſanctæ, ac dignæ optimus indulgens Pontifex, cauſam Ioanni ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac tituli Sancti Petri ad vincula Cardinali Ceruanti Hiſpano commiſit, illique ſuper præmiſſis qualibet poteſtate, ac iuriſdictione munito, vt Prælatos Ordinis congregaret, & de reformatione prouideret, omni ſollicitudine mandauit; quapropter Legatus quàm citiùs mandatum Apoſtolicum exequuturus, Aſſiſiũ ſubito aduolauit, vbi Prælatis Ordinis congregatis de reformatione, ac dicti Ordinis vnione pertractare volens, Capiſtrano, vt omnia, quæ pro premiſſis neceſſaria ſibi viderentur diligentiſſimè deſcriberet, ad obedientiam onus iniunxit; vnde zelantiſſimus noſter Capiſtranus poſſibilem, facilemque viuendi modum, à quo nemo poſſet excuſari cogitans, quaſdam conſtitutiones in duodecim capitula diuiſas,

quæ hodie, quia tempore Martini Quinti fuerunt deſcriptæ, martinianæ vocantur, omni maiori ſtudio compoſuit, illaſque Cardinali Legato præſentauit; vnde hic claras poſſibiles ac iuſtas conſiderans approbans, eas alta intelligibilique voce coram fratribus in vnum congregatis legi præcepit; quibus perlectis ac ſummo applauſu pro optimis per omnes comprobatis, tàm Prælati, quàm ſubditi ad omnimodam earumdem obſeruationē ſub maximis pœnis, & iuramenti vinculo apud Deum, & Cardinalem, magno Legati, & Capiſtrani, cæterorumque bonorum gaudio, & lætitia ſe obſtrinxerunt, ac demum pro firmiori decretorum executione, ne incœpta citiùs euaneſcerent, ſed faciliùs, ac ſtudioſiùs perficerentur, dictus Legatus Cardinalis miniſtro Generali, vt Capiſtranum pro ſocio reciperet, mandauit, ac iuxtà eius conſilium in ordine reformando, ſe omnimodo regere deberet, ſtrictiſſimè iuſſit: ipſeque Miniſter quanquam ſimulanter, cuncta ſe facturum ſpopondit.

Abſoluto itaque capitulo, dimiſſis electoribus, cæteriſque bono Ordinis regimini, eiuſque reformationi completis, cœpit Capiſtranus

nius ad hoc ſummopere iuxta Cardinalis decretum inuigilare, necnon cum Generali miniſtro multa corrigere, vagos, ac inutiles fratrum diſcurſus imminuere, proprietates eradicare, ſuperflua reſecare, pretioſa alienare, ac veſtes aliquorum curioſas, palliaque longa, nec non capuccia Ordini difformia præſcindere, licet incaſſum laboraret, dum in breui Generalis miniſter, alijque eiuſdem Ordinis Prælati, qui capitulo interfuère, ac ipſas conſtitutiones & Deo, & Apoſtolico Legato ſeruare, ſeruarique à ſubditis omni conatu curare promiſerant, primi ab eis ſummo Capiſtrani mœrore receſſerunt: cùmque Ordinem poſt longa itinera, varioſque patratos labores reformare non valeret, Romam dirigens greſſus, vt viam aliquam reperiret, per quem diſſidentes in vnam viuendi rationem vniri poſſent, Martinum Summum Pontificem morbo laborantem viſitauit, cui loco Ordinis corruptelas referendi, eius obitum ob tantam vitæ ſanctitatem apertè præuidere meruit. Ex Apoſtolico etenim palatio Capiſtranus ipſe diſcedens in fulgure de cœlo cadente hæc verba perlegit inſcripta; *Non videbit lucem ſurgentis*

Digitized by Google

auroræ, pro vt ſub aurora iuxta Dei reuelationem eadem die 12. Februarij anno 1431. in cœlum ex hac vita migrauit, eique 5. Non. Martij eiuſdem anni Gabriel S. R. E. Cardinalis Condulmerius Venetus tituli Sancti Clementis, Senarumque Epiſcopus vnanimi cæterorum Cardinalium acclamatione, nomine in Eugenium Quartum commutato, ſucceſſit, eique adhùc Bononiæ eius Summi Prædeceſſoris Legato Beatus Ioannes ſingulari prophetiæ dono munitus hanc dignitatem infallibiliter prædixit: ſuperioribus quippè temporibus in nonnullas Regiones Capiſtranus pergere debens, ac valedicens Legato, quem ſummoperè diligebat, loco manuum, quas tantùm anteà ſolitus erat, pedes ei omni reuerentia oſculatus eſt, & Cardinali rei nouitate ſummoperè commoto, ait Ioannes: *Ne mireris digniſſime Cardinalis, dùm non ampliùs niſi ad ſupremum Apoſtolatus apicem aſſumptum te veneraturus ſim*. Vnde Gabriel iuxta propheticum Capiſtrani colloquium dignum conſecutus honorem, illudque recordatus, tanta benignitate ſuſcepit Capiſtranum, vt veterem amicitiam maiori fore lucro fouen-

dam

Digitized by Google

dam illi promiſerit, qua oblatione opportunè vſus B. Ioannes, eam gratiam inſtantiſſimè poſtulauit, vt Regularis obſeruantiæ familiæ moleſtias reſpiciens, illam paterno amplexari affectu dignaretur, atque in priſtinum, quem habebat ante capitulum Aſſiſij celebratum, reſtitueret ſtatum; quod pollicitus Pontifex, quàm maximè continuò huic Ordini fauens, hæc, & maiora compleuit; tanta erat Eugenij erga B. Capiſtranum beneuolentia, eiuſque doctrinæ, ac probitatis vitæ exiſtimatio, cùm in omni negociorum arduitate ad Eccleſiam, ſanctamque Sedem Apoſtolicam ſpectantium, eius tantum ſpiritus viribus, conſilijs, & prudentia vti voluerit, in Ordinum maximè reformatione, ac cæteris ſuo loco referendis.

In primis verò monaſterij Sancti Gulielmi extra muros Ferrarienſes Ordinis Sanctæ Claræ relaxatione ad aures Summi Pontificis perducta, vt faciliùs ad priſtinam illud reuocaretur diſciplinam, tempore maximè ſacri concilij in ea ciuitate proximè celebrandi, onus tribuit Capiſtrano, eumque Venetijs Iudicem in Ieſuatorum cauſa deputauit, ac deinde commiſſa-

miſſarium in Orientem deſtinauit, nec non Mediolanenſis Prouinciæ viſitatorem decla-rauit; quemadmodum ſollicitus Ioannes, vt tanti Pontificis mandata exequeretur, Ferrariam pergit, vbi tanta Monialium in moribus diſſolutione, & animi relaxatione non obſtantibus, ad priſtinam facillimè illas reuocans diſciplinam, varijſque, ac efficaciſſimis deprecationibus ad eius perſeuerantiam ſuadens, lætiſſimas in pace, ac iucunditate reliquit, illaſque iam diſciplinæ reſtitutas eiuſdem Ciuitatis Antiſtiti ſummoperè commendauit, & deinde vna cum B. Laurentio Iuſtiniano Caſtellano temporibus illis Epiſcopo, cui Ioannes fuit ab Eugenio non mediocriter commendatus, præmiſſorum Ieſuatorum cauſam examinaturus Venetias aduolans, malignorum inuidiam, detractorumque calumnias, omnia iniuſtè tam piæ, ac Religioſæ ſodalitati imponentium cognouit, idemque etiam dicto Beato Iuſtiniano viſum fuit.

Quantùm verò Pontifex ad fauorem Capiſtrani ſcripſerit, quantaque eius apud ipſum fuerit æſtimatio, ſequentia Pontificis verba declarant.

Nos

Nos igitur, *ait Pōtifex* qui ex debito Paſtoralis officij, & ſcandalis obuiare, & nè boni, & innocētes famæ ipſorū detrimento mulctentur, quantum cum Deo poſſumus, procurare debemus, horum conſideratione inducti, dilectum filium Ioannem de Capiſtrano ad fraternitatem tuam duximus cum præſentibus diligendum, eique commiſimus & mandauimus, quatenùs eodem tibi aſſiſtente, vos ſimul de huiuſmodi exceſſibus, & perſonis diligenter inquirere, & inueſtigare curetis; perutile enim forè, & negotio huiuſmodi conueniens eſſe putamus, *virum vitæ ſanctimonia, famæ integritate, ſcientia literarum, & doctrina præſtantem tibi in hac re aſſociare, cuius conſilio, & auctoritate*, veritate comperta, & exceſſus huiuſmodi corrigere, bonos atque innoxios, ſi qui ob hanc cauſām notati ſunt, eorum famæ & æſtimationi reddere, & reſtituere poſſitis.

His autem peractis Lombardiam viſitauit, magnaquè mirabilia, præſertim in finibus prædictæ Prouinciæ, & in valle Telina operatus fuit, vbi ſermonem ad populum iuxta morem ob templi anguſtiam in campis habens

bens, ingenti exorto turbine, aëre obſcurato, tonitruque frequente, dum populus ob timorem celeriter elabi vellet, nè abiret, præcepit Capiſtranus, & ille obediens hæſit, attentuſque, graui in circuitu nymbo decidente, fructuoſiſſimam excepit concionem, qua abſoluta, reliquo madefacto, & lutoſo campo, tota circum area ſicca remanſit, nec quempiam auſcultatorum tanta aquarum diluuies offendit, quo tam euidenti miraculo omnes admiratione non parua repleti, omni maiori cultu eximium, mirabilemque Prædicatorem venerati fuère, & eius pallium magna cum deuotione apud ſe retinentes, eius attactu varia beneficia ſunt cõſecuti, & adhuc cõſequuntur.

Ineunte hinc ſub anno 1438. Summi Pontificis interuentu, Ferrariæ cõcilio, Capiſtranus tanquam vir inſignis, ac Doctor celeberrimus interfuit; ac inde perniciosiſſima fraticellorum labe iterum in Italia repullulante, vt faciliùs illa aboliretur, B. noſtro Capiſtrano cum omni ampliori facultate, generali Inquiſitori ab Eugenio confirmato, pro vt ex infra relato diplomate apparet ampliſſimo, id munus ab illo maxima ſollicitudine ipſi tri-

butum

Digitized by Google

butum fuit, nec non à Ioanne libentiſſimè ſuſceptum; quos aduerſus, hæreticos nempe, tàm acriter, & verbo, & opere pugnauit; vt quamplurimis conuerſis, alijſque fugatis, cæteros in tam peſtifera perſiſtentes opinione, igne iuſſerit concremari, vnde ad ſalutarem finem, tàm praua ac venenoſa pernicie pœnitùs extirpata, redacto facinore, Tridentum poſt repetitas & inſtantiſſimas Alexandri Mazouiæ Ducis dictæ ciuitatis vocatus, magno illarum animarum fructu prædicauit, eorumque animos, quibuſcumque ſeditionis, inobedientiæ, rebellionis, ac odij, cæterorumque vitiorum ſeminibus, iuxta dicti Epiſcopi epiſtolas infra reſcriptas ſuperatis, non abſque Principum gaudio, ac ſubditorum applauſu conciliauit: quanta, qualiſque vero fama ſanctitatis eſſet Capiſtrani ex Summi Pontificis diplomate, ac Tridentini Epiſcopi literas ſatis apparebit.

EVGENIVS, &c.

Dilecto Filio Ioanni de Capiſtrano Ord. Min. profeſſori hereticæ prauitatis Inquiſitori.

Apoſtolicę Sedis prouidentia circumſpecta contra hęreticę prauitatis labe reſperſos, &c. prout in tō. 6 Vuad. ſo. 241.

Digitized by Google

Venerabili ac Religioſo Patri Fratri Ioanni de Capiſtrano ſincerè nobis in Chriſto dilecto.

Venerabilis ac Religioſe Pater in Chriſto ſincerè dilecte. Relatu veridico percepimus, vos aduenien-dum huc ad noſtram ciuitatem, & verbum Dei populo proponendum & prędicandum fore inclinatum, quod tantò magis gratè audiuimus, quantò veſtram honeſtatem ad id faciendum magis idoneam fide dignorum veſtri notitiam habentium teſtimonio non ignoramus, & huic noſtro populo id magis videmus expedire. Venite igitur confidenter, & proſperè, & ſitientes agros huius agreſtis ſoli principali rore cæleſtis verbi, ſpe mercedis æternæ curetis irrigare, in quo illum (qui diſcipulos ſuos in mundum vniuerſum ire & omni creaturæ Euangelium prædicare iuſſit, qui non ſolum vni ciuitati verbum ſalutis; ſed pluribus hinc inde diſcurrens & ouem deperditam reperire, ſaluareque quęrens euangelizare curauit) imitabimini, & ſui vaſis electionis Apoſtoli Pauli (cuius ſollicitudo quotidiana non vnius, ſed omnium Eccleſiarum erat) veſtigia ſequamini commendanda. Nos vero ad hoc, quod veſtra ſancta intentio finem conſequi commodiùs valeat pręoptatum, fauores vobis dare, dante Domino, volumus opportunos. Datum Tridenti in caſtro noſtro boni conſilij die 3. Iunij Anno Domini 1438.

Vene-

Venerabili, & Religioſo tamquam Patri dilecto Domino Ioanni de Capiſtrano Ordinis Minorum Sacræ Theologiæ Profeſſori.

Venerabilis, & Religioſe tamquam Pater dilecte: Relatibus fide dignorum intelligentes vos tamquam virum vita, & ſcientia perfectum, verbo ſanę doctrinæ, & exemplo bonæ vitę populum Ciuitatis noſtræ ad pacem (ſine qua pacis author minime coli poteſt) & charitatem mutuam (ſine qua Deo placere impoſſibile eſt) obedientiamque (quæ cunctis holocauſtis præfertur, & ſine qua Deo placere nullus valet) humilitatemque (præter quàm alię virtutes non ſubſiſtunt, & cęteras virtutes, & mores optimos aſſiduè, feruidè, & prudenter inducere & in via ſalutis conari collocare, lętati ſumus in his, quæ dicta ſunt nobis, Deoque Deorum, & Domino Dominantium grates, & laudum, præconia de dono nobis ſubiecto, diuinitùs conceſſo in humilitate ſpiritus perſoluimus copioſè in ſua clementia confidentes, quod ea quæ per te cæpit perficere dignabitur gratioſè, vepribus, & ſpinis diſcordiarum, & odiorum, ac ſuperbiæ, & exinde prouenientibus rebellionis, & inobedientiæ alijſque vitiorum ſeminibus, quæ inimicus homo in agro Dominico ſuperſeminauit, euulſis, triticum præfatis vitijs eradicatis oppoſitarum virtutum, & probitatum creſcere, multiplicareque faciet in immenſum. Quod vt eueniat perſuadere populo ipſi ſæpè placeat, vt ſe non reddāt verbo Dei indignos, nec velut porci conculcent

Digitized by Google

margaritas, nec ſine ſemine verba Dei ſicut Sodoma exiſtant, & Gomorrę ſimiles efficiantur, ſed magis ſtudeant eſſe ex Deo, & non ex ſuo aduerſario Sathana, attento, quod veritas ipſa per ipſam teſtetur, quod Qui ex Deo eſt verba Dei audit, *& propterea hi, qui verba Dei audire dedignantur, non ex Deo, ſed ex diabolo ſunt. Nec vos vir bone, à publicationibus verbi diuini retrahat, aut tabeſcere faciat audientium aut prauitas, aut ceruicis duríties, nam (vt noſtis) ſacra tradunt eloquia, hominem nonaginta nouem in deſerto oues dimiſiſſe & vnicam dumtaxat ouem deperditam quæſiſſe; lapidem etiam ſua duritie non obſtante, parua licet ſtilla non vi, ſed aſſiduitate ſtillandi, cauare cernitur ab experto; ſicque veriſimile eſt, ſaltem vos in aliquibus fructum facere, licet duris. Ignita enim ſunt verbi Dei, quę per vos propalantur eloquia, & quantumcumque ferrea hominum corda ſufficiũt emollire; Neſcit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia, & ſi fructus non ſequeretur in materia ſubiecta audientium, non tamen meritum deficiet in efficiente, & verbum diuinum propinante. Quinimò quemadmodum Oratio in ſinũ orãtis, eo pro quo oratur, inhabili exiſtente, conuertirur, ſic prædicationis meritum, auditorum ineptitudine in prædicantem reuertitur quo ad fructum, ita ei retributore omnium bonorum concedente, qui pręmijs exuberantibus ipſum prędicantem faciet gratulari: quibus vos ille, in cuius vinea laboratis in domo Patris ſui in qua manſiones multę ſunt, abundare faciet gaudioſè à nobiſque, & cunctis ad quorum labores veſtri, quos in vinea Domini Sabaoth*

facitis

Digitized by Google

facitis, notitiam peruenerint, laudes immortales reportabitis & gratias, ac altiſſimum in his veſtris operibus per cũctorum ora glorificare facietis: apud cuius clementiam, vt nos & populus nobis ſubiectus per operationes veſtras commendemur, affectuoſis ſuſpirijs deprecamur parati, ad vobis ordinique, & Monaſterio veſtris quęque grata, & acceptata exhibere. Datum in Caſtro noſtro nouo die 13. Octobris Anno Domini 1438.

Ad Orientem poſtmodũ illam Prouinciam reformaturus pergens Capiſtranus, ibique per eum omnibus ritè, & rectè diſpoſitis, Armenorum quoque reductioni iam in proximo præterito Ferrariæ habito concilio deliberatæ, illis obedientiam Sanctæ Sedis Apoſtolicæ omni efficacia ſuadens, ſummoperè profuit, nec non cum ipſorum Legatis obedientiam ſummo Pontifici præſtituris, in Italiam redijt, & peracta in prædicto concilio, deinde Florentiã translato, Eccleſiæ Græcæ cum Latina vnione, hiſque ingenti Pontificis gaudio aſſociatis Armenis, non minus vtilis fuit opera Capiſtrani in abolendo ſchiſmate Baſileenſium, & Amadæi Sabaudi, qui temerario auſu eorumdẽ Baſileenſium ſub Fœlicis V nomine, contra verum Pontificem Eugenium, Antipapa, magna Eugenij iniuria, magnoque Eccleſiæ Dei ſcan-

ſcandalo ; ac turbatione conclamatus fuit ? Cum enim Philippus Maria Mediolani, & alter Philippus Burgundiæ Duces concilij Baſileenſis, & Fœlicis Antipapæ partes prę cæteris tuerentur, vt & concilij conatus diſſiparentur, & Amadęus impoſitam dignitatis laruam, & inobedientiæ deponeret crimen, non aliud efficacius medium Eugenio viſum eſt, quam vt, miſſo Capiſtrano, ipſius hortatibus, doctrina, & probitate duos illos Principes ad meliorem ſenſum, ſuique veri Pontificis obedientiam reduceret & reuerentiam ; vnde Profectum ad vtrumque Capiſtranum, non tam Summi Pontificis legatum, quàm Angelum de cœlo miſſum ipſimet ſuſceperunt Duces, ſummiſque honoribus venerati ſunt, cuius ſanctiſſimo approbato conſilio, paucis per eumdem habitis concionibus, plena Eccleſię tranquillitas ſuo loco reſtituta fuit ; dum adeo apud illos ſermonis facundia B. Capiſtranus (Deo cooperante) profecit, vt opinione amborum commutata, Eugenium ſequerentur, eumque pro vero Pontifice colentes, donec (conciliabulo penitùs deſtructo,) odioſam Fœlix deponeret arrogantiam, continuò tueren-

Digitized by Google

r...tur, licet ſchiſmatici, Fœliciſque ſectarij maximas ex aduerſo Beato Ioanni ſtruxerint inſidias, mortem machinati ſint, ac bis propinauerint venenum, à quibus, cœteriſque periculis mirabiliter liberatus, ad Eugenium (Dei Ecclesia lætante) redijt tryumphator; cuius reditus quàm charus, ac gratus eſſet Pontifici: elogia per eum ad Capiſtrani commendationem publicè in Cardinalium conſeſſu habita teſtantur.

Quamplures eiuſdem Ordinis temporibus illis ad maiorem Dei gloriam, & ſuæ Eccleſię Sanctę exaltationem florebant viri, Diuus maximè Bernardinus Senenſis, vitæ ſanctimonia, litterarum ſcientia, ac famæ integritate præſtantiſſimus, qui ſenectute grauatus, & curis ſummoperè oppreſſus Vicarij Generalis ciſmontani munus exercens, tantoſque labores amplius ſufferre non valens, recurſum ad Eugenium habuit; ac iuxta illius diploma, dilectiſſimum ſocium, defenſoremque inuictiſſimum B. Capiſtranum ſuæ Religionis obſeruantiæ zelantiſſimum iam ſatis expertum, ſuum inſtituit coadiutorem, eique Prouincias Ianuenſem, Mediolanenſem & Bononienſem

com-

Digitized by Google

commiſſarij titulo viſitandi onus impoſuit.

Digna quidem ac perutilis electio ab omnibus ſummoperè commendata, dùm Beatus iſte, vt faciliùs in Religioſis perſonis perſiſteret Obſeruantia, ac in cæterorum cordibus Chriſtianorum firmam Dei fidem hærere faceret, omnia ſua geſta miraculis comprobauit, atque in primis in illorum Conuentuum viſitatione valdè laborans, cum trans Padum rapidiſſimum nonnulla cœnobia viſitaturus traijcere opporteret, poſt repetitas deprecationes, pecunia nauclero danda, regulæ obſeruantiſſimus carens, pertinaciſſimè fuit à portitore repulsus, quapropter hic ſanctiſſima repletus fide, pallio velut quadam naufragij tabula ſuper aquas extenſo, non abſque maxima auari portitoris confuſione ad alteram ripam vna cum ſeptem ſocijs, & Aſello ſarcinulas, libroſque ferente, mirabiliter tranſlatus eſt. Bononiæ pariter tanti Miniſtri mandata executurus exiſtens, arcana cœleſtia reſerare, futuroſque euentus prophetiæ dono præſcire meruit, dùm Thomam Sartianenſem Archiepiſcopum Bononienſem per Pontificem tunc recenter creatum, hanc illi digni-

dignitatem gratulàturus viſitans, his verbis illum ſalutauit; *Hodie Epiſcopus Bononienſis electus es congratulór; ſed non remanebis ſic, Cardinalatui appropinquans, & ad Papatum feſtinans.* Ad quæ dum rideret Thomas, nec credere vellet, *tuam* ait illi Beatus, *non miror, dum Thomas es, incredulitatẽ, ſed infra duos experieris annos;* & notus apud omnes efficitur Propheta, ſecuto ſicut dixit, euentu.

Romam inde, officio ſibi impoſito completo, Capiſtranus reuerſus, obedientiam Diuo preſtitit Bernardino; ac deinde mortuo ſub anno 1442. miniſtro eiuſdem Ordinis Generali, fuit interim ab Eugenio pater Albertus de Sartiano ad Generalem totiùs Ordinis Vicariatum, donec capitulum haberetur, per diploma promotus; & ab eo Capiſtranus in conſortium curarum vocatus, nec non in partibus vltramontanis, Furoniæ ſcilicet Franciæ, Burgundiæ, Angliæ, & Hiberniæ, cæterarumque Prouinciarum illarum commiſſarius, viſitator, & reformator vigore Pontificis decretorum cõſtitutus; hoc etiam peculiari, & expreſſo dicti Pontificis iuſſu, vt earumdem prouinciarum fratres, ſi aliquando Principum, Baſileen-

ſiumque metu, antipapæ ſupranarrato Felici obediuiſſent, ad Eugenij veri, legitimique Pontificis obedientiam reuocaret, tanta erat fides, quam habebat in illo, tantaque etiam beneuolentia, vt, præter ampliſſimum, ac principale diploma ipſi Ioanni directum, & ab Vuadingo in quinto eius tomo relatum, alijs etiam ſingularibus literis eum Chriſti fidelibus commendauerit.

Illuc igitur aduolans Capiſtranus Eugenij peracturus mandata, ſic nullum ſubterfugiens laborem, in prædictis Prouincijs ad omnimodam regulæ obſeruantiam componendis, vt abuſibus penitus abolitis, omnia remouerentur indebita, & inſtituerentur neceſſaria, ſacrarum literarum ſtudia in omnibus Prouincijs erigi, ſeu promoueri curauit, optimum diuini præceptoris Bernardini ſpiritum ſecutus; cùmque vicarijs Prouinciarum laudabiliter præciperet, vt rem executioni mandarent, ſe quamplures oppoſuere Fratres leuiter afferentes, ſcientiā virtuti eſſe contrariam, neque facilè Religionem in ſua humilitate, & reformationis puritate poſſe conſeruari: Capiſtranus verò auctoritatem ſuam, & Sancti Bernardini, ſeu verius

rius Eugenij Pontificis fortiter ſuſtinuit diſpoſitionem, dum optima ratione, & efficaci doctrina, non alia ex inſcitia, quam incommoda ſequi demonſtrauit; eorum maximè, qui cœleſtia tractant miſteria, diuina peragunt Sacramenta, & conſcientias dirigunt alienas, quæ omnia exercere tenebantur illi; quorum controuerſia cum decretum Pontificis requireret deciſiuum, Capiſtrani ſententia ſummopere ab omnibus commendata, fuit ab Eugenio eiuſque fratribus Cardinalibus præceptum, vt in omnibus Prouincijs ſcholæ inſtitui ſubito deberent.

Poſt nonnullas efficaciſſimas Antonij Epiſcopi Bambergenſis Capiſtrano factas inſtantias, vt Bambergam prædicaturus iret; dum Capiſtranus ex partibus vltramontanis redeundo, ſe poſtulata facturum annueret, probè ſciens Epiſcopus, quanti eſſet lucri Capiſtrani ſermo ob raram eius doctrinam, & probitatẽ, omnibus, & ſingulis ſibi ſubditis, qui eius ſermonibus, & ſacroſancto Miſſæ Sacrificio intereſſent, quadraginta indulgentiarũ dies pro qualibet vice hac forma ſequenti publicauit.

Digitized by Google

Antonius Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia
Epiſc. Bambergenſis.

PRidem accepimus qualiter venerabilis in Chriſto, & Religioſus Frater Ioannes de Capiſtrano Ordinis fratrum Minorum perluſtraturus ſit Ciuitatem, & Diœceſim noſtram Bambergenſem ibique verbum Dei ſeminare proponat: cupientes igitur, vt Chriſti fideles tanto liventius cauſa deuotionis ad eumdem confluant, quanto ſe dono Cæleſtis gratiæ vberius conſpexerint refectos, omnibus Chriſti numinis ſubditis noſtris vere pænitentibus, & confeſſis, qui ſermonibus, ſeu predicationibus ipſius Fratris, ac miſſis eiuſdem interfuerint in Ciuitate, & Diœceſi noſtra, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, nec non Sanctorum Kiliani, & Georgij martyrum, Henrici Confeſſoris, & Kadegondis virginis Eccleſiæ noſtræ Bambergenſis patronorum authoritate, & meritis confiſi pro qualibet vice authoritate noſtra ordinaria quadraginta dies indulgentiarum de iniunctis ſibi pænitentijs miſericorditer in Domino relaxamus. In quorum teſtimonium præmiſſorum noſtrum præſentibus eſt appenſũ. Datum Bambergę quarta poſt diuiſionem Apoſtolorum, anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo.

Celebrato interim Generali eiuſdem ordinis capitulo Patauij, ac electo fratre Antonio de Ruſconibus Generali miniſtro, iuſſit ei Põtifex

tifex Eugenius, vt familiam ciſmontanam obſeruantium regendam traderet Capiſtrano, ob ſingularem modum, prudentiam, & facilitatem, quas ad regimen in ipſo ſemper agnouit; quapropter Capiſtranus ampliſſima forma à Generali miniſtro vicarius generalis ciſmontanus inſtitutus ad maiorem ipſius authoritatis ſecuritatem, & robur, Eugenius Pontifex motu proprio, nouoque, & ampliſſimo diplomate illum in officio confirmauit; quod munus ob tantam eius humilitatem licet difficilitèr ſuſciperet, diligentiſſimè tamen ſemper exercuit, & ne fratres, ſeu Religioſi legum, quibus tenebantur, ignorantia ſe excuſarent, Ioannes illas in ſolitudine montis Aluernæ ordinatè conſcripſit, eaſque ad ſingulas prouincias, per quas poſtea diſcurrebat, circumferebat, & eradicans vitia, virtutes inplantabat; quodque primum, & caput eſt, religioſiſſimo vitæ ſuæ exemplo omnes ad obſeruantiam inſtituti ſuſcepti ſuauitèr, miroque ordine traxit: quod cum ad notitiam peruenerit ſummi Pontificis, tanti viri virtute, & prudentia fiſus, Nuncium Apoſtolicum ad Siciliæ Regẽ varia grauiaque ſanctæ ſedis Apoſtolicæ per-

tra-

Digitized by Google

tractaturum negocia eum deſtinauit, cuius electio quàm grata fuerit Regi; encomia, multorum Principum occurſus, & habitatio in eodem Regio palatio, vt omni maiori honorificentia ſuſciperetur, parata teſtantur: Ioannes verò in hac perſiſtens humilitate, omnes contemnens glorias, ac de omnibus ſibi ſumptuoſiſſimè paratis, tàm Regi, quàm principibus gratias reddens infinitas, ad cœnobium religiosè cum cæteris fratribus vixurus ſe contulit, vbi digniſſimo, quo fungebatur officio non obſtante, non ſolùm ſibi aliquem inſeruire non permiſit, ſed ipſe quæcumque viliora Religionis exercens officia, alijs inſeruire ſatagebat; adeò, vt ob eius ſingulares virtutes, vtiles conciones, ac modum, quo illud exercebat munus, nil ampliùs quàm eius perſiſtentiam illa cuperet Maieſtas.

Deo tamen a quo omnia cunctis temporibus optimè diſponuntur, placuit anno 1444. Diui Bernardini merita æterna cœli gloria cõpenſare, quod audiens Capiſtranus his verbis loquens, *Magiſtrum amiſi, Protectorem inueni*, gaudio, & mœrore repletus à lachrymis & ſuſpirijs ceſſare non valebat; quem interrogan-

gan-

gantibus fratribus, cur tàm amarè fleret, dum illum Deo placuit magnificare, *non* (inquit) *propterea fleo, ſcio enim illum in Cœlis eſſe, ſed propter me, & familiam, qui familiaritate, & auxilio tanti viri priuati ſumus*; quò dicto, feſtinanter ſtatim de canonizatione tanti præceptoris virtutibus, & ſanctitate conſpicui acturus, Aquilam, vbi adhuc eius reliquiæ maxima cum veneratione ſeruantur, accurrit; quo cùm perueniſſet propè ſacrum Diui corpus genuflectens, ſic eum lętus alloquitur. *Salue Pater, ſalue fœlix, qui ſalutis æternæ theſaurum percepiſti, dum ob ſpretam animam tuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodies eam*; ac deinde concionante Capiſtrano manè ſequenti in platea, & campo Eccleſię Sancti Franciſci coram magna populorum multitudine inter tertiam, & ſextam horam, præfulgidum apparuit Sydus ſuper caput eius coruſcans, quòd cum cæteros demirantes conſpiceret Capiſtranus, ipſe his verbis, quemadmodū rem deinde ſcriptam in vita D. Bernardini reliquit, ſermonem abſoluit.

Nec parui pendendum eſſe conſidero, quòd cùm fœlicem Sancti Bernardini obitum in inſula Sicilia tunc exiſtens

ex

ex mandato Sanctæ memoriæ Eugenij Papæ IV. ſcribſiſſem ad Aquilanam Ciuitatem pergens feſtinanter, vt tanti viri ſignis magnificis coruſcantis diligentia quanta poſſem canonizationem benè meritò procurarem, pari modo in platea, & campo Eccleſiæ, & Monaſterij Sãcti Franciſci, aſtãte etiam multitudine populorum hora quaſi eadem, videlicet inter tertiam & ſextam ibidem apparuit ſtella præfulgida, in quam aſpicientes, qui aderant, cum admiratione alter alterum excitabat, nec tamen eam tunc Ego ipſe, qui indignus thalamo præſidens, etiam de Beata Virgine prædicabam, ſtellarum differentiam, & varietatem conſiderans, cum non haberem etiam de apparitione dictæ ſtellæ notitiam, per relationem fide dignam de commotione aſtantium admiratus quid intra ſe quęrerent perſcrutabar; cum ſtellam ſupra caput aſpicere non valerem, tunc mihi indicauerunt apparentiam eiuſdem ſtellæ, quæ ſuper caput S. Bernardini coruſcauerat ibidem euidentiſſimè declaratam; Cumque caput erexiſſem eandem ſtellã limpidiſſime conſpexi, Deo gratias agens & Virgini Benedictę, ſperans, & confidens ex diuina bonitate & Virginis Benedictę præſidijs me fœlicem ſucceſſum & lętum effectum in canonizatione Dei viri infallibiliter obtenturum. Itaque factum eſt Domino diſponente vt mane ſequenti ex Aquila ad ſanctam Romanam Eccleſiam greſſus dirigens præfatam ſtellam tanquam Ducem itineris & comitem pluries in itinere non ego ſolus aſpexerim; ſed quamplures ſocij, qui mecum erant inter quos Fr. Matthæus de Rhegio de Calabria Fr. Philippus, Fr. Ioannes Teutonicus de Auſtria, & plures alij.

Ro-

Romam appulſus, Eugenium Pontificem ad ſolemnem Bernardini Canonizationẽ, omni maiori efficacia, præmiſſas, legitimaſque afferrens rationes, hortari cœpit, cuius verbis motus Eugenius, negotium amplexus eſt, & quamprimum forſan illam ſe terminaturum ſignificauit; ſed & hic propheticus Capiſtrani ſpiritus eluxit, dum Eugenio aſſerenti, ſe Bernardini canonizationem celebraturum, diſertè reſpondit: *Non tu, sed qui tibi succedet, hoc opus absoluet*. Interim autem Eccleſia ciuitatis Aquilanæ vacante, Pontifex Capiſtrani laborum, meritorumque memor, ipſum nominauit illius ciuitatis Epiſcopum; verum Ioannes eiuſmodi fugiens dignitates cum omni reuerentia conſtantiſſimè reſpondit, nolle ſe anguſtis oris recludi, cum ſibi ad diſſeminandum verbum Dei latiſſimum Dominus dediſſet orbem, cuius reſponſum, & fortitudinem admiratus Pontifex, tantam fidem, tantamque erga eum concepit deuotionem, vt, iuxta eius diploma in annalibus Seraphicæ Religionis regiſtratum, ampliſſimam vbicumque prædicandi, abſoluendi, diſpenſandi, indulgentias concedendi, aliaque grauia gerendi, ad Dei

Digitized by Google

gloriam, eiuſque Eccleſiæ exaltationem ei tribuens poteſtatem, nuncium Apoſtolicum, vt Principum traheret animos ad præſtandum auxilium Europæ ſub atrociſſimo Turcarum iugo,& immani eorum tyrannide periclitanti, per totam Italiam ipſum deſtinauerit: quo munere tàm egregiè functus eſt, vt Eugenius de mirabili Capiſtrani facilitate ad emolliendа hominum corda, negocia gerenda, ac Principum animos commouendos experientia eruditus, illum in Galliam cum Rege, alijſque illarum partium principibus grauiſſima ſedis Apoſtolicæ, & vniuerſæ Chriſtianitatis negocia tractaturum eodem Apoſtolici Nuncij titulo miſit,eumque literis honorarijs Petro de Fuxio Albanenſi Epiſcopo Cardinali à latere legato enixè commendauit, A quo in ciuitate Auenienſi honorificè ſuſceptus Capiſtranus, rem ad omnimodam extinctionem ſchiſmatis reſidui Baſileenſis, quod nonnullorum Principum protectione adhuc aliqua parte ſuſtinebatur,optimè perduxit: ita enim in ea re laborauit Capiſtranus, vt Principes ipſius ſermonẽ comprobantes,& hortatibus acquieſcentes,relicto penitus Amadæo,Eugenio vero Pontifici

ma-

Digitized by Google

magno ſolatio ipſius,& Eccleſiæ vniuerſæ, trã-quillitate,omniumque bonorum applauſu, atque ipſius denique Amadæi aſſenſu omni ampliori laude adhæſerint omnes.

Re tàm fœliciter geſta,Romã remeauit Capiſtranus;vltimaq;Eugenij accepta benedictione, Aquilã tẽpore quadrageſimali prædicaturus aduolans, paucis poſt eius regreſſum tranſactis diebus,euidentiùs dedit ſignum Dei ſpiritum ſibi multa reuelantem in corde ipſius habitare, cùm ſemel in prædicta ciuitate officium cum ſocio Fratre Nicolao Teutonico recitans, illoque completo iuxta eius pium, ſanctumque morem, orationem dicens pro Papa; *Deus omnium fidelium Paſtor, &c.* ad verba *famulum tuum*,admonuerit ſocium, ne amplius Eugenium,ſed Nicolaum diceret, cum iam deceſſerit Eugenius, ac alter nomine Nicolai ſummus Pontifex illi ſuccederet, quod etiam manè populo inter concionandũ propheticè ſignificauit, & verè factum poſteà compertum fuit; eadem etenim die, qua Beatus populo, & ſocio euentum cæteris illius ciuitatis ignotum, & ipſi tantum ob eius merita reuelatum declarauit, mortuus eſt Eugenius,

& Paulo poſt Thomas Cardinalis Lucanus à Sarzana, cui ſemel ipſemet adhuc Epiſcopo Bononiæ dignitatem prædixit, nomine Nicolai V. vnanimi Cardinalium voto ſupremum Apoſtolatus apicem conſecutus eſt, cuius digna electione omnibus poſtmodum patefacta, Ioannes iterum prophetizans dixit. *Lætemur omnes dùm citò habebimus fratrem noſtrum Bernardinum Senenſem ſanctum comprobatum in terra*, præſcius nimirum, quod Eugenio in viuis agenti prius prædixit, non illum, ſed Nicolaum hunc ipſius ſucceſſorem Bernardinum inter ſanctos relaturum.

Tempore interim abſoluto quadrageſimali, nouo Pontifici gratulaturus, eique cauſam Canonizationis Diui Bernardini commendaturus Ioannes Romam feſtinè contendit, ibiq; ſanctiſſimos ſummi Pontificis deoſculatus pedes, his eum verbis alloquutus eſt. *En tandem cum nomine Nicolai fœliciter tangis quidquid iam diù ſub nomine Thomæ credere noluiſti, ſalue ergo, & fratris olim tui Bernardini Senenſis recordare*; quæ dicenti Capiſtrano arridens Nicolaus Pontifex ob amorem, & beneuolentiam, quam maximam ob eius ſingula-

rem

rem doctrinam, & vitę probitatem in illum gerebat, multa ei promiſit, maiora verò ſeruauit, præſertim in cauſa canonizationis, quam tribus S.R.E. Cardinalibus Ioanni Vrſino Neapolitano, Guillelmo de Eſtouteuilla Gallo, & Petro Barbo Veneto ampliſſima poteſtate, vt curã haberent proceſſùs cõficiendi, teſtes admittendi, ſuper eius virtutibus inquirendi, illas cũ miraculis approbandi, aliaque ad hoc neceſſaria peragendi, commiſit, illoſque duplici diplomate aſſociauit, quorum primum ampliſſimum aduerſus quemdam Amadœum de Zandis Mediolanenſem importunum Bernardini virtutum, & miraculorum obtrectatorem emiſit, ac in illo expreſſè ſub pœna rigoroſiſſimæ excommunicationis prohibuit, ne aliquis Chriſti fidelium dicti Amadæi erroribus, & falſitatibus adhærere auderet, & ſub eadem pœna quibuſcumque Prædicatoribus, clericis, & Religioſis mandauit, quatenus præmiſſa Amadæi accuſatio tamquam peruerſa, & calũnioſa, ac hoſtis infernalis inuidia, & malignitate repleta, non eſſet attendenda, quodque dictus Bernardinus Catholicæ fidei Prædicator ſemper fuiſſet fideliſſimus, & ſalutis animarũ

Chri-

Digitized by Google

Chriſtiani populi zelator ardentiſſimus, prout ex eodem diplomate ſub anno 1447. edito conſtat, quòd incipit.

Vniuerſalis Eccleſiæ, & habetur tomo v. Annalium Minorum pag. 501.

Nec deſtitit Beatus laborare pro ſãcto; Bernardini, etenim miracula examinandi munere tribus Epiſcopis per præmiſſos Cardinales ſubdelegatis iniuncto, Capiſtranùs nullo parcens labori, vt res citiùs abſolueretur, continuò aſtitit illis, & illi ex diutina conuerſatione, quam per ſex menſes continuoscum illo habuerunt, eius vitam omni virtutum genere ornatiſſimã non tàm humanam, quàm Angelicam æſtimantes, alijs deinceps dicere ſolebant; *maximum nobiſcum habemus ſanctum Fr. Ioannẽ à Capiſtrano, dignum equidem canonizationis gloria*, & præter magnos laudum titulos, quos deinde ſemper illi in vita tribuebant, Epiſcopus pręthereà Reatinus, qui ex ipſis poſt Capiſtrani mortem illi ſuperſtes fuit, efficaciſſimis literis ad Cæſarem, & Chriſtianos Principes datis, ac in fine huius opuſculi deſcriptis vt pro Capiſtrani canonizatione apud ſummũ Pontificẽ inſtanter intercederent hortatus eſt.

Di-

Digitized by Google

Dignus equidem Beatus, cuius miracula sũmus inaudiens Pontifex Nicolaus, ac tantum in Capiſtrano videns zelum, feruorem, innocentiam, & ſanctitatem dixit illi: *quis pro canonizatione veſtra laborabit Frater Ioannes?* cui humillimè reſpondens Capiſtranus, *maximus peccator ſum Beatiſſime Pater, nec talia peccatoribus debentur; dignetur Deus miſereri mei,* ab eo maxima cum humilitate diſceſſit, quam noſcens Pontifex ad aſſiſtentes conuerſus ait; *ſi ſrater* Ioa*nnes à Capiſtrano decederet temporibus noſtris, illico ſanctorum Cathalogo adſcriberemus eum.*

Pernicioſiſſima ſub Nicolai Pontificatu Fraticellorum hæreſi repullulante, ijſdemque literis a Martino V. & Eugenio IV. ad eumdem effectum emanatis, à Nicolao ampliori forma & facultate renouatis, onus ipſe impoſuit Capiſtrano, vt iàm tertiò contra illos procederet, eodemque tempore in iudæorum, ſaracenorumque inſolentias inquireret, qui Chriſti leges, ac Pontificum decreta iniurioſè contemnebant; qua propter rigoroſo ad ipſorum reformationem diplomate per ſummum Pontificem emiſſo, vt pleniùs conſtitutiones in illo

ap-

appoſitæ ſuum ſortirentur effectum, curam tribuit Capiſtrano, eumque contra relapſos Hebræos, & hęreticos generalem confirmauit inquiſitorem; quod onus quanta ſedulitate, ac diuinæ fidei exercuerit progreſſu, inclyta perhibeat Roma, vbi vnico tantum ſermone, ſeu diſputatione, quam cum Gamaliele Hebræorum magiſtro habuit, illum cum alijs quadraginta Hebræis conuertit ad Chriſtum; ac multos ſimiliter alios in varijs Italiæ partibus ad fidei trahens veritatem, præter illa in decretis, & decretalibus contenta, multa alia Eccleſiaſtica contra eos edita ſtatuta per totas, illas quas peragrauit partes, omni ſtudio, & ſolertia ſeruari curauit: maximè ne Iudæi à Chriſtianis vſuras exigere valerent, & Chriſtiani ab illorum abſtinerent familiaritate, quibus etiam, ne ab illis reciperent medicinas, & ab eorum balneis, conuiuijs, & quouis alio cõmercio abeſſent, ſub grauibus prohibuit pœnis, neminem licet Principem pertimeſcens, dum ſanctiſſim a Dei fide, populiq; Chriſtiani zelo munitus, ita omnes indifferenter hortaretur, vt plerique Principes ab eius ſermonibus, & doctrinis excitati, vbi prius Hebræorũ

vſuris

Digitized by Google

vſuris,alijſque cum Chriſtianis negociationibus adhærebant, poſteà illas ſummopere abhorrerent, ac ſinguli ſuis ſubditis,ne talia ampliùs exercerent, pœnis rigoroſiſſimis prohiberent.

Romam indè cum tribus ſocijs rediens Capiſtranus, quanta polleret pietate, quantaque interceſſione apud Deum, ſatis,magna comitum admiratione,monſtrauit, dum per quamdam ambulans viam,vbi quidam vehementer fœtens ob iuſtitiam ad cæterorum terrorem ſuſpenſus pendebat, eumque videns, ſumma pietate, & humilitate repletus, Diui Franciſci memor leproſos deoſculantis, feſtinè per ſcalam ad illum aſcendit, illumque iam diù fœtentem ſtrictiſſimè amplectens, pluries atque pluries deoſculatus eſt,ardentiſſima cuius charitas tantum Deo placuit omnipotenti, vt fœtorem illum in aromata, & odorem commutauerit ſuauitatis, nam ex illo deſcendens, & ad ſocios regreſſus,de tanto fœtore interrogatus *nullum* (ait) *fœtorem ſenſi*; ſuumque intereà ſequens iter, Romam peruenit, & ad Pontificem habito acceſſu,illam ab eo gratiam inſtantiſſimè petijt,vt ad honorem Diui Bernar-

Digitized by Google

dini cœnobiũ in oppido Capiſtrani erigi poſſet, illãq; maxima ſua cõſolatione ſtatim obtinuit.

Poſt hæc, ſanctiſſima Nicolai accepta benedictione, Florentiam verſus, nonnulla ibi acturus negocia, ad ſuam inde patriam profecturus, iter ſuſcepit: media autem exiſtẽte hyeme, ac dubitantibus ſocijs quo tenderent, cùm omnia niuibus eſſent cooperta, ait Beatus: *Ne timeatis, Deus non derelinquit timentes ſe, ſed dat illis escam in tempore opportuno*; & ecce iuuenis pulcherrimus alba indutus veſte candidos aliquot panes ferens illicò apparuit, quos cum illis dediſſet, iterum ſtatim diſparuit; cumque neque vnde venerit, neque quo abierit perſpicere valuiſſent, Angelum è Cœlo miſſum Beati Patris verba comprobaturum, fuiſſe, certiſſimè habuere.

Omnibus igitur ſibi impoſitis negocijs Florentiæ completis, ad illuſtrem Capiſtrani oppidum prædicaturus proficiſcitur, vbi ita populi in eum creuerat deuotio, vt nequiuerit ampliùs ob magnum concurſum, niſi aperto deinceps cœlo prædicare; cùm vero oppidani tardi eſſent in deliberando vbi opportuniùs conſtruerent cœnobium, Ioanne inter concio-

nan-

Digitized by Google

nandum ſermonem, ea de re miſcens, nonnullaſque euolare videns columbas, *vbi* (inquit) *aues iſtæ quieuerint, ibi cœnobij construendi locus eſt*, quibus poſt longum, vagumque volatum in veteri Caſtro comitum Ceilani quieſcentibus, Leonellus, & Cobella tunc comites ad erigendum deinde oppidanorum expēſis cœnobiū, B. Ioannis hortatu magnificè conſtructum caſtrum libentiſſimè conceſſerunt.

Fratribus interim ad generalem congregationem in conuentu nemoris de Muſſeto Tuſciæ XIV. m. p. ab vrbe Florentina diſtante habendam, Capiſtrani etiam interuentu, conuocatis, Iacobus Primaditius Vicarius eiuſdem Ordinis generalis Ciſmontanus, annis, & laboribus feſſus, vt ab illo tam graui liberaretur officio, humillimè totum rogauit conſeſſum; cuius inſtantijs, & deprecationibus, communibuſque fratrum votis officium in Capiſtranum translatum eſt; hicq; licet ſeptuagenarius, ac laborioſiſſimis, nec non quotidianis prædicationibus, alijſque publicis functionibus granatus, onus tamen ad ordinis vtilitatem, maximè à Deo ipſo priùs etiam monitus ſubiuit; cùm enim die antecedenti inter ſacra myſte-

Digitized by Google

ria Deum pro felici illius capituli, exitu Capiſtranus deprecaretur, diuina voce, ne electioni de ipſo futuræ refragaretur, præmonitus eſt, & ideò humiliter obediuit.

Placuit ſummoperè Nicolao Quinto tàm digna electio; nam omnibus in comitijs actis ſtatim per Capiſtranum Spoleti, tunc exiſtenti Pontifici ad vnguem relatis, tanta fuit illius conſolatio, & gaudium, vt non tantum præmiſſam confirmauerit electionẽ, ſed etiam ſponte, omni efficaciori modo Generali ipſius ordinis miniſtro Capiſtranum hac literarũ forma commendauerit.

Di-

Digitized by Google

Dilecto Filio Antonio de Ruſconibus S. Theologiæ Magiſtro Ordinis Minorum Generali Miniſtro.

Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Profecturus ad capitulum Frater Ioannes de Capiſtrano ad præſentiam noſtram ſe contulit; & vt nobis enũciauit, ſe Vicarium electum forè, ac publicatum ipſum attenta ſuę præſentis vitæ honeſtate, ac Religionis obſeruantia, authoritate noſtra confirmauimus, & pro confirmato haberi debere decernimus. Tu erga illum benignè fac, & grate ſuſcipias, ſibique fauori & pręſidio noſtro intuitu, & ſuis benemeritis eſſe velis in omnibus, quę ad eum, & cæteros de obſeruantia ſpectant, ſi nobis rem gratam cupis efficere, ac eumdem confirmes; nam, quo illi te fauorabiliorem præſtabis, eò nobis gratiùs futurum exiſtimes, ſi vero contra fieres, quod non credimus, tantũ vberiorem aſſiſtentiam & fauorem conſequatur à nobis. Datum Spoleti die 23. Maij Pontif. noſtri anno tertio.

Quibus viſis, Miniſter Generalis Capiſtranũ in officio ſequentibus literis patentibus libentiſſimè confirmauerit.

In

In Chriſto ſibi Chariſſimo Fratri Ioanni de Capiſtrano, Frater Antonius de Ruſconibus de Cumis Sacræ Theologiæ Magiſter, ac totius Ordinis Minorum Generalis Magiſter, & ſeruus. ſalutem & pacem in Domino ſempiternam.

CVm in Congregatione fratrum, qui de obſeruantia vulgariter nuncupantur in loco Nemoris de Muſſeto celebratas fuerit per ipſos fratres in eorum Vicarium in Ciſmontanis partibus electus, quam electionem, vt confirmarem, fui à te & à pluribus ex ipſis, qui tecum aderant humiliter & reuerenter requiſitus. Ego itaque, ad quem ſpectat merita ſubditorum ponderare, electionem ipſam de te mihi chariſſimo filio ritè, canonicè & iuridice factam, atque celebratam de conſilio tamen Venerabilium Patrum Miniſtrorum multorumque aliorum vocalium in præſenti Capitulo Generali Florentiæ celebrato anno Domini 1449. die 2. Iunij exiſtentium accepto, approbo atque confirmo tibi vices meas, & omnimodam poteſtatem, atque facultatem committendo. Et vt tibi cedat ad meritum, mando tibi ad meritum obedientiæ ſalutaris; quatenus ipſam electionem in eorum Vicarium & Paſtorem, vt præmittitur, ritè, iuridicèque de te factam, omni contradictione ſemota, humiliter, reuerenterque ſuſcipias, ſuſceptamque cum omni diligentia ſtudeas exercere ſecundum multiplicem gratiam à Domino tibi datam. Iniungens inſuper omnibus & ſingulis Fratribus de obſeruantia vulgariter nuncupa-

cupatis, cuiuſcumque conditionis, & gradus exiſtant, tuo Regimini commiſſis, tibi vero meo Vicario per eamdem obedientiam ſalutarem teneantur firmiter obedire, exhortans te in Domino vt ita ſollicitè circa eorum regimen te habeas, & charitatiuè quod ad ſæpè dictorum fratrum tua inſtitutio cedat profectum, animarum ſalutem, & Religionis augmentum, quos tibi teque illis in Domino commendo. Vale in Chriſto Ieſu & ora pro me: Datum Florentię tempore noſtri Generalis capituli ibidem celebrati anno, die, & menſe qui ſupra.

Nullo vnquã tẽpore B. Ioannes à Capiſtrano, grauiſſima etiã confectus ætate, pepercit labori, minimeque à tot ſui corporis macerationibus abſtinuit; imo arctiori ſe aſtringens vitæ, ex admirabili mirabilior in omnibus apud omnes deuenit, in officio præſertim vicariatus quod acuratiſſimè, maximaque cum diligentia, & vigilantia ſemper exercuit, quemadmodum omnes, tam ob longiſſima, quæ pedeſter continuò agebat itinera, quàm ob laborioſiſſimas, quas vna vice ſaltem in die infallibiliter ac indefeſſè ad populos habebat conciones, continuò admirabantur. Spoleto, Florentiam abijt, vbi generalibus conuentualium comitijs tunc aderat generalis miniſter, quæ vt Capiſtranus ampliùs honoraret, fecit, vt obſeruan-

tes

tres etiam in ſolemniſſima conuentualium incederent proceſſione, & ipſe in gradibus palatij ciuici concionaretur, prout, ac corã infinito populo, & vrbis magiſtratu egregium habuit ſermonem; adeo, vt omnes demirantes dixerint, non Ioannem, ſed ſpiritum ſanctum loquutum fuiſſe; tantaque erga illum creuit omnium deuotio, vt Florentiam è conuentu nemoris eunti, magna virorum, mulierumque turba per aliquot extra vrbem milliaria ingenti gaudio occurrerent, eumque tanquam virum Apoſtolicum ſuſciperent, ac prius in prædicto conuentu prędicantem, effuſa ſimiliter turba, locorum non obſtante diſtantia, omnes illum audituri ex vrbe confluerent, & plerique ſub eius inſtituto viuere, illoque habitu veſtiri cuperent; vnde omnibus iam repletis domicilijs nullo amplius exiſtente loco cæteros admittendi adoleſcentes, ac etiam viros, recurſu ab ipſo ad Pontificem habito, viginti cœnobia conſtruendi licentiam impetrauit, & erecta varijs, nobiliſſimiſque tyronibus repleuit ex ijs, qui auditis ipſius ſermonibus, & obſeruata probitate, ſponte, ac libentiſſimè concurrebant.

Ca-

Digitized by Google

Capiſtranus in ſui vicariatus officio à generali miniſtro confirmatus, prouincias viſitare cœpit, multaque vbique neceſſaria inter fratres diſpoſuit, ſtatuit, & ſtabiliuit, nec vnquam omnibus, quantum poterat, deſtitit ſatisfacere, ſed potiùs vndiquè per totam italiam expetitus, omnia loca ſuis concionibus, ſanctis operibus, & miraculis ædificabat, ac interim ad burgum ſancti ſepulchri profectus, ibiq; fratrum viſitatione peracta, die Aſſumptionis Virginis Immaculatæ Mariæ in menſa cum cæteris aſſidens fratribus, oculis ad Cœlum eleuatis, alta voce cœpit exclamare; *O mei Patres video animam cuiuſdam fratris noſtri in Cœlum euolare, en ſpecioſa vadit, ac properat pulcherrima, flectamus genua, & gratias agamus Deo*. Quo audito, omnes ſtupefacti, genibus flexis, hymnum *Te Deum*, canere cœperunt, quo finito, dixit Capiſtranus, *Ora pro nobis frater Alberte Sàrtianenſis, qui meritò glorioſus in Cœlum euolaſti*; nonnullis tamen animo an crederent, ſuſpenſis, ait Capiſtranus *Et vos fratres chariſſimi eſtote parati, dum nil certiùs morte, & nil incertiùs hora, neſciente homine diem ſuam*. Cuius monitis aliquan-

tultum confuſi, ſeu perturbati paucos poſt dies fratr ē Albertum in Romandia la eadem die, & momento, quo Beatus Ioannes dixerat, defunctum ſcientes, Capiſtranum prophetico ſpiritu illuſtratum fuiſſe comprobarunt.

Neapolim deinde, illam ſimiliter viſitaturus prouinciam dirigens greſſus, Iancianensē viſitans conuentum, ac ex frequenti hirundinum ingreſſu, & regreſſu per S. Angeli templi feneſtras garritu, à populo, cui prædicabat audiri non valens, vt ſilerent, & firmæ perſiſterent auiculis imperauit, & mirum equidem, celebrique memoria dignum? non citiùs ille protulit præceptum, quàm iſtæ tamquam rationales creaturæ illicò à cantu ceſſarunt, nec ampliùs Eccleſiam illam regredi viſæ ſunt; cui etiam ſimili miraculo paulò ante in ſua viſitatione populus Tyburtinus lætatus fuit, dùm ſemel in platea S. Mariæ Maioris concionanti Capiſtrano, cicadæ in propinquo fratrum horto, æſtiuo canentes ardore, moleſtiam inferebant, quibus cùm, vt ſilerent, præciperet, illicò paruerunt, & abſoluto ſermone, primæuos, maxima tanti populi aſtantis admiratione, reddita eis canendi facultate, cantum mirabi-

liter

Digitized by Google

liter reſumpſerunt. Anno demùm Chriſti 1450. & vltimo Capiſtrani conuerſationis in Italia, celebrata iam ſolemniſſima canoniza-tione S. Bernardini, poſt quàm Capiſtranus per ſex continuos annos illi promouendę inſudauit; atq; cū ipſius B. Ioannis doctrinæ excellentia, & vitæ probitas per varias orbis partes lōgè, latèque peruulgata eſſet, eiuſdemque aſſiſtentia, & præsēs prædicatio ab omnibus Chriſtianæ Reipublicæ proceribus inſtantiſsimè expeteretur, Fridericus præſertim tertius Auſtriacus Romanorum Imperator, cùm inter Principum diſcordias, ſubditorum ſeditiones, feras Turcarum minas, & perniciosiſsimas Adamitorum, Huſsitarum, nonnullorumque aliorum ſectariorum hæreſes, ſacri Principatum Imperij glorioſè ſuſtinens magnopere laboraret, ſolatij à Nicolao Pontifice per Æneam Syluium Piccolomineum, alioſque ſuos oratores, interpoſitis etiam germani fratris ſui Alberti Auſtriaci precibus, inſtantiſsimè petijt, vt Ioannem à Capiſtrano ordinis minorum obſeruantum, ſcientia, & probitate celebrem ad ſe, illas Prouincias euangelica prædicatione tantis malis mitteret expurgaturum, cui

Digitized by Google

Pontifex, ſeu tam iuſtæ, & neceſſariæ Cæſaris indulgens petitioni, litteras ad Capiſtranum dedit Venetias, vbi conciones quadrageſimales magna miraculorum copia celebrabat, iuſſitque, vt, in Germaniam iturus, priùs Romam quantociùs reuerteretur.

Acceſſit ergo Pontificis mandatis obſequẽtiſſimus Capiſtranus, eiuſque accepta Nicolai benedictione, vna cum poteſtate commiſſarij Apoſtolici, Generaliſque Inquiſitoris, vt faciliùs omnes illas Regiones à tam praua, ac pertinaci hæreſi expurgaret, ſanctiſſimæ Virginis priùs imploraturus opem, Aſſiſium aduolauit, ex qua ciuitate, deuotiſſima peracta deprecatione, diſcedens, luce mirifica circumfuſus vſque ad medium milliare, lucidiſſimis totus coruſcans radijs viſibiliter proceſſit; ſic Deo prænunciante, lucem Euangelicam ad longinquas illas nationes errorum tenebris obſcuratas Capiſtranum copioſiſſimè delaturum.

Iter inde cum ſuis ſodalibus arripiens, nec non ad partes Lombardiæ, & Marchiæ Taruiſinæ ſe transferens Beatus, maxima, ac ſtupendiſſima vbique patrabat miracula, tantoque

que

quæ ad delenda peccata continuo prædicabat feruore, vt quam pluries ſermonem per aliquod tẽporis interuallum intermittere, donec auditores infiniti gemere, & ſuſpirare deſinerent, opus eſſet; præſertim in agro Brixienſi apud pratum Albuinum, vbi, concione ſoluta, vltra viginti varijs, periculoſiſque morbis laborantes, & in grabatis adductos, illicò perfectè ſanauit; quapropter eius aucta, & peruagata fama, ipſam Brixienſem ingrediens vrbem, maxima cum honorificentia ab illo Magiſtratu, ingentique hominum turma ſuſceptus fuit, quibus cum vellet die ſequenti concionem habere, tantus fuit populi concurſus, qui illuc Capiſtranum ſaltem viſurus, eiuſque benedictionem à longe accepturus, non tantum ex oppidis vicinis, verum etiam Mediolano, Cremona, & Bergamo, conuenit, vt, nulla licet ampliſſima platea exiſtente capace, ad campum apertum extra portam Sanctæ Apolloniæ vocitatam coactus fuerit prædicare, vbi ob incredibilem ferè populi multitudinem, cum centum viginti quinque millia hominum fuerint numerati, multi ob diſtantiam illum ſaltem geſtientem conſpecturi,

ri,

ri, altiſſimos muros, & arbores aſcendebant, quibus per nimium perſonarum pondus cum illis corruentibus, nullus tamen fuit in tanto præcipitio læſus, nedùm vulneratus, aut mortuus, quibus ſimilia apud Venetos, Veronenſes, Patauinos & Mantuanos mirabiliter ab illo patrata, breuitatis cauſa prætermitto.

Nec ceſſabant Itali ſupplices ſuas preces Pontifici porrigere, vt & ipſi Capiſtranum ante ipſius ex Italia diſceſſum iterum apud ſe concionantem audire, & populis benedicentem videre valerent; Dux præcipue, & Senatus Venetus, Franciſcus Sfortia Mediolani Dux; nec non Inſubriæ, Liguriæ ciuitates, & populi; quorum vrgentiſſimis inſtantijs gratiam Pontifex ob ſummam ambarum partium pietatem denegare nequens, vt ijdem faciliùs tam dignam, ac ſpiritualem reciperent conſolationem, benigniſſimam Capiſtrano ſcripſit epiſtolam, cuius hic adijcio exemplar.

Dile-

Dilecto Filio Ioanni de Capiſtrano Ordinis Minorum.

DIlecte Fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm nobilis vir dilectus filius Franciſcus Sfortia Dux Mediolani, ac populus Mediolanenſis, totaque Liguria ex ore tuo verbum Dei audire deſideret, quod nobis admodum placuit audiuiſſe, cùm indubiè ſperemus populos illos tuis prædicationibus & monitis imbutos viam ſalutis electuros eſſe, charitatem tuam hortamur in Domino, ut poſtpoſitis omnibus te ad iter quamprimùm dirigas, nàm cùm tempus quadrageſimale elapſum ſit, nulla te occupatio detinere poteſt, vt credimus, quæ mentem tuam à tàm ſalubri opere poſſit auertere. Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die 10. Maij 1452. Pontificatus noſtri anno quinto.

Serò tamen hæc Pontificis mandata peruenère, cùm Capiſtranus præcedente Aprilis menſe, Chriſti exemplo, duodecim ſocijs aſſumptis, Gabriele Veronenſe ſcilicet, poſteà S. R. E. Cardinali, Hieronymo Mediolanenſi, Nicolao de Fara, Petro Supronienſi, Bernardo Mutinenſi, Chriſtophoro de Variſio, omnibus Religioſiſſimis, doctiſque ſacerdotibus, Bernardo de Neapoli, Paulo Ferrarienſe, Ioanne

ne de Complo, Michaele Peruſino, Ambroſio Aquilano, & Ioanne Auſtriaco optimæ ſimiliter vitæ laicis, in Germaniam ingentibus, & quotidianis miraculis per viam vbique clariſſimus abiuiſſet. Cùm vero per forum Iulij & Marchiam Taruiſinam tranſeuntibus auarus Portitor Siliani fluminis traiectum præmiſſis non concederet, niſi ſoluta pecunia, quam Franciſcani Ordinis obſeruantiſſimi nō habebant, tunc Capiſtranus diuinæ Omnipotentiæ, & benignitatis fide plenus, præmiſſa oratione, Diui Bernardini veſtem, quam ſecum inter cætera deferebat, ſuper aquas extendit, illæque confeſtim diminui cœperunt, donec, facto vado, ipſe Beatus vir cum ſocijs magna Dei virtute, & inhumani portitoris admiratione, confuſioneque, abſque vllo periculo, vel incommodo ſuis pedibus ad alteram fluminis Ripam pertranſierunt, ijſque ad continentem translatis, aquæ priſtinam altitudinem, & curſũ reſumpſerunt: ſed & rapaciſſimùm, voraciſſimumque Padum, non abſimili miraculo, ſtrato pallio veluti quadam tabula naufragij, cum ſocijs, iumento, & ſarcinulis, ſiccis omnibus, ſuperius, traieciſſe narrant

rant

rauimus, quod, hoc ipſo itinere factum refert Bonfinius.

Præterea in oppido Caprioli in Lombardia tranſpadana die 27. Aprilis 1451. quemdam mutum à natiuitate annorum viginti, quemdã alium ſurdum, & alterum claudum vti ſerpẽtem ſuum trahentem corpus, primum loqui, ſecundum audire, ac tertium rectè ambulare fecit ſolita in fine concionis benedictione. In portu grauario die vltima Aprilis vnus contractus, alter Paralyticus, & mulier quædam, quæ alteram tibiam medio palmo longiorem habebat ſanati fuere. In caſtro S. Viti die prima Maij fœmina à natiuitate contracta, tres iuuenes claudi, alijq; duo muti, & ſurdi à natiuitate fratres liberati ſunt. In ciuitate Vtinenſi die quarta Maij quatuor membris contracti, vna immobilis, vnus mutus per duos annos, vnaque poſt ſe pedem trahens liberantur. Ibidem quinta die duo muti à natiuitate, quatuor claudi minimè abſque ſuſtentaculis ambulare valentes, duo guttoſi, & vna habens faciem verſam immobilem, tortumque ferens os, perfectiſſimè ſanantur. Ibidem etiam die ſeptima vna ferens pedes retractos, quinque

L ſine

ſine fulcris ambulare non valentes, tres mem-bris contracti, & quaſi immobiles in grabatis portati, alius vno oculo cæcus, vnaque ſurda, & muta à natiuitate liberi efficiuntur. In ciuitate Forliuij, quæ Auſtria dicitur, decima Maij vnus per annum immobilis, tres fulcris ſuſtentati, vnus brachium habens immobile, & vnus ſurdus per plurimos annos, priſtinam recipiunt ſanitatem. In oppido Glemonæ 11. Maij quædam ſurda per 12. annos, duo virilis ætatis ſurdi, & muti à natiuitate, 36. podagroſi ſine baculis ire nequientes, & vnus aſſideratus optimè ſanantur. Eadem die poſt veſperas ſex abſque baculis ex podagra, alijſq; languoribus incedere non valentes, vnus mutus, & ſurdus à natiuitate, vnus caput, & brachium extendere nequiens, vna cæca ab vno oculo, & vna manum habens attractã, gratiam receperunt ſanitatis. Ibidem 13. Maij tres claudi, & podagroſi, ſeptem ſurdi, vna clauda, & muta, ac vnus duodecim annorum a natiuitate vix videns ſplendorem, mirabiliter ſanantur. In villa Pontafil die 17. Maij vnus mutus, & ſurdus a natiuitate, vna penitùs cæca, & vna clauda liberantur. In ciuitate Villoci 18. Maij in

Digitized by Google

vigilia glorioſiſſimi Sancti Patris eius præceptoris Bernardini Senenſis peſſimo exorto morbo, ex quo paulò ante multi vtriuſque ſexus repentè extincti fuerè; 14. ad pedes miraculoſiſſimi Capiſtrani pro mortuis ſuper cathedris in morbo delati, accepta eius ſanctiſſima benedictione, domum etiam currentes maximo aſtanrium ſtupore ſunt reuerſi, cæterique ad maiorem Dei gloriam à tam peſtifero morbo liberati, eodemque tempore duo cęci, vnus ſurdus, vnus podagroſus, duo attracti, vnus in manibus, & alter in pedibus, duoque pedes immobiles in modum crucis tranſuerſos habentes mirabiliter ſanati. Ibidem vigeſima Maij in feſto pręfati Diui, Matricis Eccleſiæ vicarius ad ſacra celebranda myſteria inutilis ex gutta penitùs effectus, optimè fuit reſtitutus ſanitati, quemadmodum tanta illorum erga Capiſtranum creuit deuotio, & veneratio, vt maximo vndique populo concurrente, vix Beatus à præſſura potuerit liberari, nec cætera, multaque miracula ob eamdem cauſam poterant adnotari. Straſburgi duo cæci, vnus ſurdus, tres membris deſtituti, fœmina ex ſanguinis fluxu viribus conſumpta, duo claudi, tres

Digitized by Google

attracti, & aſſiderati, vna renum dolore ferè mortua, ſanitatem mirabiliter recuperarunt.

Hinc eſt, quod tot miraculorum per totas illas partes præeunte fama, vndique tamquam Angelus,& Apoſtolus honorificentiſſimè ſuſcipiebatur; per carinthiam præſertim, ſtiriam, & Auſtriam, in quibus aduenienti Capiſtrano clerus, & magiſtratus, viri, & fœminę, ciues, & accolæ ſolemni ſupplicationum ritu per aliquot milliaria obuiam exibant ſacros concinẽtes hymnos, illumque in primis verſum ingeminantes, *Benedictus qui venit in nomine Domini*; tantamque fiduciam diuini auxilij in ipſius meritis, & probitate collocabant, vt reſpondente Deo, quotquot ſeu morbis quibuſcumque, ſeu calamitatibus alijs affecti ad illũ veniebant; ſeu Beati viri attactu, ſeùprocul data benedictione ſubitoſanarentur.

Ad ciuitatem nouam pridiè Kalendas Iulij profectus, fuit ab Imperatore Friderico, à Ladislao Bohæmiæ, Hungariæque Rege,cæteriſque Imperij magnatibus maxima cum honorificentia, & deuotione ſuſceptus, ac die ſequenti legationem ſuam Cæſari exponens, publicam habuit concionem, in fine cuius ſuper

Digitized by Google

per fidei articulos idiotas interrogans, illoſque edocens, magna fecit mirabilia, quam plurimis ægrotantibus priſtinam reddens ſanitatem, Chriſti verba pronunciando, *ſuper ægros manũs imponent, & benè habebunt*. Quæ cum Imperator, Rex, Proceres, populique ſuis auribus, oculiſque conſpicerent, maxima admiratione, maximaque opinione Ioannis, maximas gratias gratiarum largitori Deo, qui talem hominibus dedit poteſtatem, reddiderunt; præſertim cum Capiſtranus per ſex tantum dies, quos Neoſtadij ſubſtitit, ſeptem cæcos, quorũ vnus à natiuitate, ſexdecim ſurdos, decem & octo claudos, vnum mutum, & ſurdum à natiuitate, ſeptem, alios manibus, alios pedibus attractos, & quatuor omnibus viribus deſtitutos cum alijs pluribus, qui ob magnam populi turbam numerari non poterant, ſua ſancta benedictione ſine mora perfectè ſanaſſet.

Sanatis igitur Imperialis huius ciuitatis infirmorum, quotquot erant, corporibus, & peccatorum cordibus expurgatis, Capiſtranus ad Chriſtum ſe conuertit, & quadam die coram Crucifixo genuflexus, his verbis orauit, vt, qui via, veritas, & vita eſt, viam ip-

ſius

ſius in veritate ad vitam dirigeret, monſtraretque, an apud Cæſarem illi manendum, an ad Bohemorum à via veritatis aberrantium ſalutem procurandam, proficiſci deberet, ac diuinum accepit reſponſum, quo iuſſus, vt ad Bohemos pergeret, illicò licentiam abeundi à Cæſare humiliter petijt, priuatimque, ſed reuerenter, & efficaciter plurima, & quam maximè proficua ſuæ dedit conſilia Maieſtati.

Vehementer diſplicuit Imperatori, virum probum, doctũ, & prudentem ab aula ſua tam citò díſcedere; ceſſit tamen diuinæ voluntatis oraculo, & abire permiſit, id ſaltem deprecatus, vt Capiſtranus Vienna trãſiret, vbi ab omnibus inſtanter expetebatur, populumque illũ aliquot ſaltem diebus, pro data ſibi gratia erudiret, ſuaque præſentia, & beneficijs conſolaretur.

Accepto igitur Cæſaris aſſenſu, mãdata eius executurus Capiſtranus, iter ſuum Viennã verſus non abſque ingenti planctu numeroſiſſimi populi direxit, qui illum per multa milliaria Neoſtadio ſecutus eſt; cumque Viennam appropinquaſſet, obuiam illi extra ciuitatem, ſacro, & ſolemni ritu occurrerent Sacerdotus,

cum

cum Religioſis, & ſacris reliquijs, doctores vniuerſitatis cum collegijs, & effuſa Academicorum ſocietate, magiſtratus cum ciuibus, & vniuerſa populi multitudine, illumque cum ſacro cantu, ſummoque omnium iubilo, & lætitia in vrbem deduxerunt, vbi in templo Fratrum Minorum, ſtatim concionatus eſt aſſumpto themate, *omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt &c.* ac die ſequenti, in primario ciuitatis templo Sancti Stephani ſuſcepto argumento *A.A.A. Domine Deus neſcio loqui, quia puer ſum* tàm mirè perorauit, vt glorioſa de eo per totam Germaniam fama volitante, Hungaris, Moldauis, Morauis, Auſtriacis, Bohemis, Bauaris, cæteriſque remotiorum Prouinciarum hominibus ad eum audiendum, videndumque cõfluentibus, ipſe Cæſar, & Ladislaus Rex accedentes, fructuoſiſſimas Capiſtrani conciones ſæpè ſepiùs audire, eiuſque conſilia in rebus grauiſſimis adhibere voluerint, tantuſque ad illum pauco temporis interuallo conuolauit populus, vt, publico ciuitatis foro, & amplo S. Stephani cæmeterio ad eum capiendum non ſufficiente, in campis extra vrbem prædicare

op-

opportuerit, dùm aliquando centum millia; aliquando centum viginti quinque millia, & aliquando centum quinquaginta millia numerarentur auditorum; quos Capiſtranus non doctrina tantum, ſed continuis, magniſque miraculis, quibus hanc maximopere confirmabat in ſui, ac Dei in primis admiratione amoréque rapiebat: ſi quidem die 9. Iunij ad diem Pentecoſtes, quæ eo anno 1451. fuit dies decima tertia eiuſdem menſis, quinque cæci, vndecim ſurdi, quatuor Paralytici, tres omnino immobiles, duo muti, & ſurdi à natiuitate, altera muta per viginti annos, nouem claudi, quinque manibus, pedibuſque attracti, nec non ſex omnibus membris deſtituti ſolita beati Patris benedictione integræ ſanitati reſtituti fuerunt.

Die verò illa ſolemniſſima Pentecoſtes ſupra quatuor millia infirmorum ad eius ſermonem congregatis, ne quidem vnus ex omnibus gratiam obtinuit ſanitatis; quapropter ſocijs cũ cæteris fratribus admiratione tantæ nouitatis, & rubore, quaſi deficientis virtutis magiſtri conſternatis, Capiſtranus probè ſciens, quid eſſet, quidque futurum eſſet, confidenter

dixit

Digitized by Google

dixit. *Modicæ fidei quare dubitaſtis? craſtina die videbitis gloriã Dei, & nulla ætas, nulluſq; sexus excludetur à beneficentia diuina.* Nec decepit, vel deceptus fuit: nam die ſequenti decima quarta Iunij, ac ſecunda feria Pentecoſtes poſt habitam concionem, data ſolummodo benedictione ſuper illa innumerabili turba omni morborum, & orbitatum genere laborantium, iucundum ſane fuit, & longè admirabile, omnes ſanos videre, & lætos Deũ laudantes ſibi inuicem occurrentes, mutuò congratulantes, ac ſingulos præteritam ſuam miſeriam, & præſentem fœlicitatem enarrantes, vnum ex quibus ad cæterorum exemplum referam tantum.

In quodam pago Viennenſis agri dicto poſſem, dùm fœmina, cui nomen Catharina ſabbatho panibus pinſendis intenta filiam trimulam negligeret, hæc, nemine vidente, in pagi puteum cecidit, & aquis ſuffocata vſque ad diem Lunæ remanſit, quam repertam afflictiſſima extrahens mater, cum fratre ſuo Laurentio Viennam in feretro portauit, cumque præ turba ad Capiſtranum accedere non valeret, eius tamen benedictione procul porrecta, in

puteo per triduum fœtens infantula reuixit,& læta,atque incolumis cum genitrice,& patruo domum, maxima omnium admiratione rediuit.

Nec ſilebo vltiones aliquas, quas eodem tempore aduerſus quoſdam Capiſtrani miraculorum detractores:quaſi magis ad pompam, quàm ad ædificationem illa patraret, aut non tam vera eſſent, quàm dicerentur,diuina iuſtitia ad illorum confirmationem operata fuit: quidam enim Baro cum nullo modo præmiſſa miracula vera eſſe ſibi ſuaderet ad canem ſuũ ob hunc effectum obcæcatum conuerſus ait; *tunc credam miracula, quæ referuntur, eſſe vera, quando iſte meus canis viſum aſſequetur*, & ecce: res quidem admiranda! vix pronunciatis verbis,viſum canis aſſequitur, ſed ipſe Dominus ſubitò cæcus efficitur, & ex alijs tribus, qui eius miraculis detrahebant, vnus graui, ac ſubitaneà morte corripitur, alter à canibus interficitur, ac tertiùs à curru miſerè remanſit oppreſſus. Stupendus etiam accidit caſus, & improbis hominibus,qui res ante dubij diſcuſſionem temerè iudicant,ſeu malignè & falsè interpretantur, longè terribilis: nàm

cùm

cùm vxor quædam poſt puerperium per improbum maritum ſuum coram officiali Viennenſi accuſaretur adulterij, & controuerſia eſſet ambigua, ac difficilis probationis, conſulẽdum duxit iudex Capiſtranum; coram quo coniugibus cum infantulo conuocatis, ac B. Ioanne bimeſtrem infantem, quiſnam eſſet eius genitor interrogãte, puer alioquin elinguis, germanicis verbis alta voce proprio nomine eumdem ipſum genitricis maritum genitorẽ ſuũ diſertè vocauit; quo tam inſigni miraculo, ac miro iudicio Dei, vir, & vxor ſtupefacti, ſtatimq; placati, magnam pecuniæ ſummã ad pedes Beati Iudicis proiecerunt, quam ille partim officiali, partim pauperibus, & partim reſarciendæ Eccleſiæ diſtribuendam ſanctiſſimè reliquit.

Cùm verò nimis eſſet, omnia, & ſingula ab ipſo patrata miracula per extenſum referre, nunc tantùm dicere ſufficiat, quod ſicuti nunquam vlla die altaris ſacrificium agere & publicum ſermonem habere ceſſauit, ſic & miracula per eum in fine illorum Deus nunquã deſtitit operari, cùm à die ſupradicta decima quarta iunij, vſque ad diem vigeſimam ſepti-

mam Iulij,qua Bohemiam verſus iter arripuit, ſurdos quinquaginta ſanauit, vndecim cæcos illuminauit, decem, & nouem claudos, vnam obſeſſam,ſeptem attractos, vnã paralyticam, vnum ex podagra immobilem, & ſex aſſideratos, ac viribus deſtitutos optimæ reſtituit ſanitati; inter quos, quædam nomine Margareta ex fontis aqua maximè inflata ranas geſtans in corpore, ac ex ijs ferè conſumpta, ſanctiſſimo Crucis ſigno à Capiſtrano ſuſcepto, ranas,quas nimio dolore, parique labore per annum portauerat, euacuans, læta, ac libera illicò efficitur, & ſoſpes.

Cunctis igitur tãta prodigia demirantibus, infinitiſque gratijs diuinæ redditis Maieſtati, quòd ipſis tantùm dignatus fuerit mirabilem concedere virum, ſanctum ſinguli Capiſtranũ appellabant,alta voce dicentes,mirabilis Deus in ſancto ſuo, tantaque fuit apud omnes ipſius ſanctitatis opinio, vt,fœlix quilibet æſtimabatur,qui eius veſtimentorum fimbrias tangere, ſeu deoſculari valeret, quique ſub eius vexillo,& diſciplina viuere poſſet,quapropter tàm magiſtri, quàm ſtudentes vniuerſitatis nil magis, quam ad ordinem recipi, illoque habitu

bitu indui, vt eius eſſent diſcipuli, deſiderarent; quod conſpiciens Imperator, Capiſtrano præſtitit facultatem eligendi quemcumq; vellet locum, in quo tanta tyronum educaretur multitudo, nam præter plurimos, quos Capiſtranus in alios ordines diſpertiuit, ſuo Frãciſcano habitu regularis obſeruantiæ quinquaginta induit tyrones, qui mox ad centenarium numerum accreuerunt, ad quos ſuſcipiendos, & educandos placuit B. viro locus S. Theobaldi in Viennenſi ſuburbio ſitus, qui, translatis intra ciuitatem ſororibus tertij ordinis S. Franciſci, quæ eatenùs ibi habitabant, Cæſaris, & aliorum expenſis in cœnobium fratrum exercitijs, ac tyronibus educandis aptum, efformatus eſt, conſtituto Guardiano Michaele Siculo, & vicario, magiſtroque nouitiorum Hyeronymo Mediolanenſi Capiſtrani ſocijs, ſub quorum diſciplina nouitiorum numerus pauco tempore ad ducentos excreuit.

Ipſe verò Capiſtranus accepta Cæſaris approbatione, ſub finem Iulij in Bohemiam profectus eſt, multis in itinere de loco ad locum, de ciuitate ad ciuitatem per quas tranſibat patratis miraculis, ſed Pragam illius Regni

Me-

Metropolim nullo modo penetrare valens, artibus, & minis ingreſſum prohibentibus Ioanne de Rochezana Huſſitarum pſeudo Antiſtite, & Georgio Podiebraccio vrbis gubernatore, ac omnium illius alias nobilis Regni malorum ſuſtentaculis, a quibus etiam per inſidias interfectus fuiſſet Capiſtranus, niſi Vlricus Maynardes de Roſambergh inuictus catholicorum propugnator, cui inter cæteros Regni primates multiplicatis literis Fridericus Imperator B. virum omni affectu commendauit, eum ſua prudentia, & protectione conſeruaſſet. Quapropter in Morauia, quæ prouincia varijs, præſertim Huſſitarum erroribus tunc infectiſſima fuit, commorans Capiſtranus, donec viam ſibi Pragam reperiret, atq; in primis Brunæ die prima Auguſti ſolitum ſuum officium diligenter exercens, præter plurima, cõtinuaque miracula, quæ ſimul infra referemus, tanto prædicauit feruore, tamque clara, & fũdata doctrina, vt inter cæteros, Benedictum Beneſcio vulgariter nuncupatum magnificũ in marchionatu Morauiæ Baronem, & eiuſdem Prouinciæ camerarium pernicioſiſſimis illis hæreſibus adhærentem, ad illarum abiura-

tio-

tionem, fideique Catholicæ Religionem, & obſeruantiam, Deo, eiuſque vicario lætante reduxerit.

Olomutium deinde tranſiens vrbem Marchionatus præmiſſi principalem, ibique non minorem Viennenſi populum hinc indè confluentem, tàm egregiè, ac diffusè ad fidei vtilitatē erudiuit, vt pleriq; illorū procerū, & Baronū in ſe reuerſi, relicta cum omnibus illorū ſubditis hæreſis perfidia, Huſſitarum errores in eius manibus abiurarint, præſertim Baro, quidam magni nominis, quem Ezernahoram vocabant, quo, eadem pariter relicta perfidia, cum duobus ſubditorum millibus fidei veritatem amplectente, paulò poſt eius filius ad hæreticorum confuſionem Epiſcopus Olomucenſis à Nicolao ſummo Pontifice fuit declaratus.

Ingens ſanè animarum fructus, catholicæ fidei progreſſus, & ſanctæ Romanę Eccleſiæ exaltatio, omnia tunc Ioannis Capiſtrani zelo, prudentia, fortitudine, doctrina, & miraculis cooperata; illas etenim Morauiæ peragrans partes tanta facilitate a peſtifera, & inueterata taboritarum, Vuiclifeſtarū, Huſſitarum, Iacobel-

Digitized by Google

bellianorum, & ſpurciſſima adamitarum, qui Adamium æmulantes, nudi incedebant, & publicè abſque matrimonio coibant, labe expurgauit, vt duorum annorum ſpatio ſupra triginta millia hæreticorum ad fidei reduxerit veritatem, nec vllo parcens labori, nullas vnquam timuit æmulorum inſidias, quorum vires minuens paulatim, vbique fidem propagauit, & auxit.

Brunę, ait Vuaddingus, hærens vſque ad 15. Auguſti, ſuis conſodalibus habitaculum poſuit ſub nomine S. Bernardini, reconciliauitque vltra mille ſexcentas perſonas; die 16. in Viſcia aliquot abſoluit, die 18. peruenit olmutium, vbi vſque ad quintum Septembris permanſit, ingentemq; aliquot millium multitudinem ad Eccleſiæ vnionem reduxit, regreſſus Brunam in vigilia natiuitatis virgineæ copioſam meſſem in horrea Domini coaſſeruauit vſque ad diem S. Franciſci. Die ſequenti Octobris quinta in villa Proſoph XI.M.P. Bruna diſtante, & die decimo, ac ſequentibus in Eburga alios coadunauit, à die 18. in Cronaro in Bohemia præſente D. Vlrico viro Principe, & Catholicorum patrono multos nobiles, popu-

Digitized by Google

pulares innumeros ad viam veritatis reduxit donec egrã peruenit ſeptima Decembris in vigilia conceptionis B. Virginis Mariæ, vbi vſque ad initium Februarij anni ſequentis magno catholicorum incremento perſeuerauit. In Friberch die 24. Februarij, & in ciuitate Miſnienſi a die 15. Martij, & à 25. eiuſdem menſis, vſque ad principium Iunij in ciuitate Pontenſi Regni Bohemiæ miro fructu eumdẽ ſubijſſe laborem comperio, multis millibus ad caſtra catholicorum tranſmiſſis, & gregi fidelium aggregatis.

Infinita ferè dicam ibi etiam patrauit miracula, cum à die prima Auguſti anni 1451. ad decimam nouembris 1452. ſexaginta quatuor cæcis, pleriſque à natiuitate viſum; triginta duobus mutis ſermonem, centum, octuaginta duobus ſurdis auditum; ducentis triginta duobus claudis greſſum liberũ reſtituerit, duodecim ad mortẽ vulneratos illicò ſanauerit, octo paralyticos, ſeptuaginta quatuor attractos, & ſeptuaginta ſex in varijs corporis partibus deſtitutos curauerit, quatuor hydropicos, viginti tres podagram patientes, quadraginta, & vnũ proprijs viribus penitùs immobiles, quadra-

ginta, & octo agonizantes, illos à doloribus, hos à mortis faucibus, multóſque à Dæmonibus obſeſſos liberauerit, nec non ad maiorem Dei gloriam, ac reſidui hæreticorum illorum confuſionem ſupra vinginti mortuos ad nouã vitam reuocauerit, his tantum ob maximã populi preſſuram iuxta fratris Nicolai de Fara Capiſtrani ſocij epiſtolam infra per extenſum relatam denotatis; qua preſſura multi vt pluries ſuffocati, ſpiritum deperditum in fine cõcionis, ſolita B. Patris benedictione recepère; quæ omnia, copioſiſſima quoque ſuſtentacula ab infirmis ſanatis dimiſſa, aliaque beneficiorum anathemata, adhuc in circuitu multarum, eccleſiarum in honorem Diui Bernardini per diſcipulum ſuum in illis partibus erectarum tàm multà, & magna per ipſum patrata miracula, pendentia teſtantur, cum tanta fuerit ipſius humilitas, vt cuncta in Deum, & Diui Bernardini Senenſis merita referret, & oblata quælibet gratiarũ ſigna in ſacellis quãplurimis, & Eccleſijs nouiter erectis, tantoque magiſtro dicatis apponi curabat. Nicolai vero Farenſis epiſtola hæc eſt.

Re-

Reuerendis in Chriſto Patribus Fr. Ludouico de Senis Vicario, Guardianis, cæteriſque fratribus Prouinciæ Tuſciæ: Fr. Nicolaus de Fara de Capiſtrano, Minorũ minimus ſalutem plurimam dicit in Domino.

SI valetis bene eſt, nos omnes valemus. Iubet ipſa veſtra ſingularis beneuolentia, colendiſſimi Patres, vt pro meo officio certiores vos efficere debeam de rebus magnis, ſtupendis, & admirandis quas Deus noſter quotidie per probum ſeniorem noſtrum operatur; vt cognoſcatis quàm ipſe optimus Deus diues ſit in omnes, quàm miſericors, pius & clemens: quàm liberaliſſimus & munificentiſſimus maximorum munerum largitor nouiſſimè diebus iſtis inueniatur non ſolum apud Italos, ſed etiam apud Alemannos, Moldauos, Bohemos & Hungaros, quàm vt noſtram in primis ac omnem Chriſtianam Religionem ineſplicabilibus miraculis, ſignis & prodigijs ornet, decoret, & illuſtret. Id enim etſi libenter facio pro communi omnium lętitia, tamen quia rem grandem, & perdifficilem aggredi videor, non poſſum non vereri, imò, vt verum fatear incredibiliter erubeſco tantam rei maieſtatem nuda, & exili oratione complecti. Quippe huiuſce rei tanta eſt magnitudo, vt illa quidem non litteras, ſed libellum permagnum requirere videatur. Quòd cùm frequenter ipſe mente re-

Digitized by Google

uoluo, magis magiſque moleſtia afficior, & præſertim cum id nulla verborum dignitate, nulloque eloquentia ſplendore à me poſſe tractari facile cenſeam; quandoquidem nulla prorſus eſt in me dicendi facultas neque otium, quod rei magnitudo poſtulat, præſtatur. Verumtamen cum eruditiſſimos viros extemporariè dicentes ſæpè numero longe ab ornatu verborum ſententiarumque euagari viderim, harum literarum inſcientiam minus moleſtè fero, meamque in dicendo ruſticitatem, otium, quod non datur, & ipſa rei magnitudo non parum excuſabit. Sed quid verbis inſiſto multis? indiget nè hoc tàm magnificum, tàm excedēs, tàm illuſtre opus verborum pompa, oratorijs adiumentis? cùm illud non humanitùs, ſed diuinitùs fuiſſe perfectum, nemo dubitet; nàm profectò tanta eſt eius munificentia, & gloria, vt ſi etiam nudo eloquio explicetur, ſemper, & à præſentibus, & poſteris eius ſit colenda venerandaque memoria; tunc enim res geſta perpolitis verbis adornari ſolet, quando per ſe ipſa parua eſt. Mihi autem offertur dicendi campus non modo ornatiſſimus, ſed ampliſſimus, ita vt difficiliùs ſit rem omnem veràm exprimere, quàm ad ornandam orationem meam aliquid ficti addere, quo vberior, luculentior, illuſtriorque videatur. Et ne nimis ſermo protrahatur de re ipſa dicere incipiam. Non vereor, optimi Patres, ſi omnia magnifica geſta ex deceſſu Venetiarum vſque ad ingreſſum Alemanniæ vobis enarrare voluero, longiorem me eſſe ſermonem habiturum; ſed cum illis plenas iam vos habere aures perſuadeam, non ad illa, ſed ad ea, quæ in Alemannia acta ſunt, meum ſermonem conuertam.

uertam. Proficiſcentibus nobis, Reuerendi Patres, ad has Alemanniæ partes, ut quædam Apoſtolica admonita abſolueremus, quàm primum omnis populus commotus eſt, & tanquàm à Spiritu Sancto inflammatus, & edoctus, tanta cum honorificentia probum Seniorem noſtrum amplexus eſt; ut uel nullos, uel paucos ex Italia in hanc patriã ingreſſos maiori honore, aut triumpho ſuſceptos fuiſſe omniũ ſit ſententia. Magnificauit enim illum Dominus Deus noſter apud Alemannos, Moldauos, Bohemos & Hungaros multis miraculis, ſignis & prodigijs; & ita magnificauit, ut iam non homo mortalis, ſed tanquam cæleſtis Angelus à cunctis ſumma cum ueneratione habeatur, extollatur, ac prędicetur. Currunt equidem omnes populi Alemannorum, Bohemorum, Moldauorum, & Hungarorum poſt eum & tamquam amentes prę nimia deuotione effecti, non modo ducentis, & trecentis milliaribus remoti, ſed etiam quadringentis & quingentis proficiſcuntur. Occurrunt illi ornatiſſimę proceſſiones cum crucibus, reliquijs, uexillis, luminaribus, ſuauiſſimiſque hymnis & canticis, pulſantur campanę, & organa, ornantur uiæ herbis, & ſuauiſſimis floribus & beatum ſe quiſque putat, qui illius ueſtimenti fimbriam tangere, & oſculari poteſt. Quid dicam de confluentibus undique populis ad contemplandum ipſum communem Patrem tanquam cæleſte oraculum. Cùm etiam nonnunquam centum millia, nonnunquam centum quinquaginta millia hominum conſpiciamus, ut taceam ſacratiſſimam illam diem corporis Chriſti, qua creditur procul dubio hac inclyta urbe Viennenſi trecenta
millia
Digitized by Google

millia hominum fuiſſe. Interſunt etiam prędicationi nonnunquam ſexaginta millia, nonnunquam octuaginta millia, nonnunquam centum millia, quanquam ſi omnes intelligere, & audire poſſent, nullus inueniretur campus, qui illos capere poſſet prę hominum nimia frequentia, & magnitudine. Quid de infirmorum multitudine dicam? cum aliquando tria millia, aliquando quatuor millia, & quinque millia ſint pariter expectantes ab ipſo Patre benedici, ac illius meritis & interceſſione optimam valetudinē adipiſci? clamant ſæpe numero omnes ad Deum Omnipotentem, inuocant miſericordiam, & clementiam, implorant gratiam tàm magnis, crebris, infractiſque vocibus, vt non modo tenera, ſed etiam marmorea corda mollirentur. Prouocant enim aliquando communem Patrem ad tàm incredibilem planctum, vt pra nimia lachrymarum affluentia ſemiuiuus videatur. Quis iſtorum populorum ſummam deuotionem, & fidem explicare poſſet? cum omnis locus apud quem moram trahimus, dies, & noctes multitudine copioſa circumualletur. Non equidem famem, non ſitim, neque pro lecto frigidam timent habere humum: Eſt enim eorum fides adeò magna, vt fateatur communis ipſe Pater ſe fidem nunquam inueniſſe maiorem. Audent etiam & mortuos deferre, vt cæteros varijs etiam infirmitatum generibus affectos ſilentio prætercam: non enim feruor, & deuotio decreſcit, ſed continuè creſcit, & augmentatur. Nunquam enim à tempore Apoſtolorum vſque in hodiernum diem tanta populorum commotio audita eſt. Hæc aſſertio non ſolum eſt mea, ſed omnium illorum, qui

longe

longè ſunt me doctiores, quorum ſcientię plurimum adhę-reo, immò magnopere laudo & commendo. Sed quorſus pergo? Video, colendiſſimi Patres, longo me ſermone deducendum, ſi omnia geſta per ſeriem texere voluero. Verum, quia nullum ferè otium relinquitur ad miraculorum Pelagus accedamus, vt vberes fructus Senioris noſtri, quàm prę-ſtantes, quàm diuini ſint, intelligamus. Tantum itaque loca, vbi miracula facta ſunt, & miraculorum numerum explicemus. Relicta Italia, Optimi Patres, ſumma cum gloria, & Dei magnificentia tranſeuntibuſque nobis apud Pontiam villam, quidem permagnam in confinibus Italię ſitam, quędam puella cęca viſum, quidam mutus, & ſurdus loquelam, & auditum, quędam clauda greſſum recuperauit. Sed qua laude proſequar, quę geſta Villiaci ſunt, vbi vltra triginta miracula excellentiſſima facta fuiſſe duorum dierum numero, nemo inficiatur; ibi enim cęci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, & muti loquuntur. Illud memoria dignum eſt, quod quatuordecim in ſedibus delati contracti manibus, & pedibus immobileſque omnino per ſe Domum proprijs pedibus abierunt ſani & incolumes, laudantes, & magnificantes Deum. Quid de Oppido Domini Epiſcopi Gurgienſis dicam, cùm ibidem duodecim miracula geſta fuiſſe nemo dubitet? Quid Friſacum, Indiburgam atque nonnulla oppida loquar, in quibus Dominus multa ſigna oſtendit, quorum nullum ſcribere valuimus propter ſummam hominum frequentiam & feſtinum diſceſſum. Nec minori laude commemoranda eſſe videntur ſexaginta quatuor miracula facta in

Ciui-

Ciuitate Noua octo dierum numero, vbi Illuſtriſſimum Romanorum Regem inuenimus. Præter hæc omnia illud ſumma laude, gloria, & magnificentia celebrandum eſt, quod viginti octo dierum numero, quibus vſque nunc hic Viennæ fuimus, ducenta iam miracula fuiſſe geſta nemo non vidit. Quid ſecundam feriam Pentecoſtes loquar, qua viginti infirmos ſanos & incolumes abeuntes conſpeximus, prædicente Patre, Dominica Pentecoſtes. Eodem namque die cùm nullum miraculum apparuiſſet, his verbis communis pater vſus eſt: Ecce totus ipſe feſſus ſum, & nihil hodie factum: Ego verò reſpondi: Nulla te, pater teneat admiratio, voluit fortè Dominus tuam patientiam experiri; omnes enim nos in ſummam admirationem veneramus eò quod propter diei ſolemnitatem multa ſigna videre ſperabamus. Ille verò increpans incredulitatem noſtram, ſic ait: O homines modicæ fidei, quid ſuſpicamini? craſtina quidem die videbitis gloriam, & magnificentiam magni Dei: non dubitetis. O vox aurea, ò verbum propheticum non humana coniectura, ſed cælitùs profectum! Die autem ſequenti, vt prædixi, viginti miracula, vt ipſe nobis prædixerat, noſtris oculis vidimus, & noſtris manibus contrectauimus. Quotidie noua miracula videmus; iam vnum libellum confeci ex miraculis geſtis. Tota Hungaria vſque ad fines Turcarum commota eſt, vt taceam omnem Alemanniam, Bohemiam, & Moldauiam; eſt enim huiuſcemodi commotio res inaudita. Tantus eſt fætor, vt niſi à vento opprimeretur, qui continuè hac in vrbe regnat, facile mihi perſuadeam hanc inclytam vrbem non potuiſſe

epidi-

epydimiam euadere, ſed à continuò vento omnis fœtor expellitur. Numerus infirmorum eſt iam inenarrabilis, qui ita vndique confluunt, ac ſi ad Iubileum proficiſcerentur; ducenta enim miracula facta eſſe non parum eſt in viginti octo dierum ſpatio hic Vienna, & iam ſunt trecenta viginti miracula, quę in Alemannia noſtris manibus annotauimus: vt taceam multa, quæ ſcribere nequiuimus. Silendum nequaquàm videtur, quid Deus operatus fuerit ad confirmationem iſtorum miraculorum hiſce diebus. Quidam Baro cum nullo pacto hęc miracula vera eſſe credere vellet, conuertit ſe ad canem ſuum cæcum, & ait: Tunc credam miracula, quæ referuntur eſſe vera, quando iſte meus canis, viſum aſſequetur. O res mirabilis & ſtupenda! ſubitò his verbis dictis aperti ſunt oculi canis, & ipſe cœcus effectus eſt. Quidam etiam alius detractor, & incredulus, cùm contra iſta miracula diceret, graui morte correptus eſt. Quidam alius à cane eſt interfectus: Quidam alius à curru oppreſſus, cùm miracula iſta repellere conarentur; iſta enim ſunt ſigna pergrandium rerum futurarum. Quid igitur magnificentiùs? quid præſtantius? quid admirabiliùs? quid diuiniùs dici, audiri, intelligi, excogitarique poſſet? Magna & ſtupenda in Italia ſuperiore tempore geſta fuiſſe non inficior, ſed ſi conſideretur diligenter tam paruus dierum numerus, quibus hęc facta ſunt, profectò iſtorum miraculorum magnitudo cęteris præſtat, reportatque ſibi nomen inclytum, & glorioſum. Cantate itaque Patres, & Fratres mei colendiſſimi canticum nouū, Cantate Domino omnis terra, iubilate, & exultate, &

Digitized by Google

cum Alemannis, Bohemis, Moldauinis, & Hungaris iterum atque iterum cantate & dicite: Benedictus qui venit in nomine Domini, ſicut ipſi dicunt, cùm ei obuiam veniunt, & agite gratias immortales Deo noſtro pro ſeniore noſtro in primis ac pro omnibus eius ſocijs inceſſanter orate. Et quia communis pater diuina reuelatione eſt certificatus, vt verſus Bohemiam debeat proficiſci ad extirpandas illas ſceleſtas hereſes, quibus plurimi ſunt alligati, ea de re illuc citò noſtros greſſus dirigemus; dicit enim nos preſtò fore viſuros mirabiliora & preſtantiora, quàm vſquàm nunc acta ſint; decreuit namque nunquam redire in Italiam niſi ex precepto Sanctiſſimi Domini Papæ cogatur. Preterea volo vos certiores fieri de his, quæ in modum propheticum idem Pater noſter protulit: Si qui fratrum per litteras Apoſtolicas operam dederint, vt in Italiam redeā, iudicium Dei non effugient, ſi tàm magnum Dei honorem & animarum fructum impedierint: Quare optimi mei patres, rogo vos magnopere, vt nullam operam penitùs detis, vt ipſe ad Italiam cogatur reuerti. Conſtruuntur inſuper multæ Eccleſiæ & Cappellę in honorem S. Patris noſtri Bernardini, quem quidem noſter Senior ita magnificauit, & magnificat, vt mirabile dictu ſit, omnem miraculorum ſuorum gloriam S. Bernardino attribuit, vult enim, vt ſubſtentacula dimiſſa ab infirmis ſanatis ponantur, & appendantur in circuitu Cappellæ S. Bernardini, & aliud addam; nulla eſt Religio Obſeruantum vel Conuentualium, quæ non cupiat benedictionem Patris accipere. Multi infirmi de Obſeruantia S. Dominici ſunt mirificè valetudi-

nem

nem aſſecuti; Principes & Barones, cæterique nobiles non minori deuotione, & veneratione patrem amplectuntur, quàm cæteri infirmi. Et vt iam finem dicendi faciam, ſi qua hic errata ſunt, patres, pro ſingularibus ſtudijs veſtris atque illuſtriſſimis moribus munificentiſſimè dimittetis. Vos verò interim, & corporis, & quod præſtantiùs eſt animæ, bonæ valetudini operam dabitis, mei profectò ſemper memores in orationibus veſtris, qua quidem re nihil gratiùs, nihil mihi iucundiùs poteſt obtingere. Valete in Chriſto Ieſu & pro me iterum orate. Ex inclyta vrbe Viennenſi 24. Iulij 1451.

Lætabatur vltra modum Nicolaus Pontifex tãto fructu doctrinæ, ac Capiſtrani laborum; & cupiẽs vt magis, magiſque augeretur, ipſius Beati viri poteſtatem adauxit, & Indulgentias omnibus, qui ſacrificijs, & ſermonibus ab ipſo habendis intereſſent, edito hoc diplomate, conceſſit.

Dilecto Filio Ioanni de Capiſtrano Ordinis Fratrum Minorum Profeſſori, &c.

CVm intellexerimus te in Regno Bohemiæ, & Marchionatu Morauiæ ac partibus illis adiacentibus, diuino tibi aſſiſtente ſpiritu, ſermonibus, ac prædicationibus ad populum vigilanter inſudare, & vtiliter proficere, vt vniuerſorum Chriſti fidelium, qui ad te pro audiendo verbo Dei confluunt, augeatur deuotio, & dono cæleſtis gratiæ vberiùs ſe conſpiciant refertos, deuotioni tuæ omnibus,

& ſingulis Chriſti fidelibus, quos prædicationibus tuis celebrationi Miſſarum, ac diuinis officijs pro tempore intereſſe contigerit quoties tibi videtur expedire de Omnipotentis Dei miſericordia ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum atque noſtra authoritate verè pœnitentibus, & confeſſis tres annos & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs miſericorditer relaxandi illoſque eidem concedendi, & pronunciandi, nec non vt omnes & ſingulas vtriuſque ſexus perſonas, quæ ſub vtraque ſpecie communicarunt, ac alias erroribus, hęreſi & ſuperſtitione inuoluti, à ritu, & vnitate S. R. E. receſſerunt: ſi apertis intelligentiæ oculis, ac per ſacram ſcripturam & doctrinam tuam illuminati de tenebris ad lucem veritatis prędictis erroribus, hęreſi, et ſuperſtitione relictis, coram te conciliari, vniri, et incorporari voluerint Eccleſiæ Romanæ huiuſmodi et Sedi Apoſtolicę à quibuſcumque excommunicationum, ſuſpenſionum, et interdicti alijſque ſententijs, cenſuris et pœnis, etiam hæreſis in eos tàm à iure quàm ab homine promulgatis, quoties opus fuerit in foro conſcientię dumtaxat, authoritate noſtra abſoluendi in forma Eccleſiæ conſueta. Et cùm ſingulis perſonis eiſdem, et preſertim ſpiritualibus vel Regularibus ſuper irregularitate, ſi quam huiuſmodi ſententijs, et pœnis ligati celebrando diuina vel immiſcendo ſe illis, non tamē in contemptum Clauium contraxerunt; quodque in ſusceptis per eas ordinibus, ipſis tamen per te priùs ad tempus de quo tibi videbitur ab illorum executione ſuſpenſis, miniſtrare liberè, et licitè valeant eadem authoritate diſpenſandi. Denique ab eiſdē perſonis inhabilitatis, et infamiæ maculam

ſiue

Digitized by Google

ſiue notam, per ipſos præmiſſorum occaſione contractam di-ſta authoritate abolendi, necnon eaſdem perſonas ad honorē, famam et ſtatū priſtinū in quibus antequàm pręmiſſa cōtingerent, erant, plenariè, et integrè reſtituendi, et reponendi plenam et liberam tenore præſentium concedimus facultatē. Datum Romę apud S. Petrum, anno. Incarnationis Dominicę M.DC.LI. quinto Kalèndas Nouembris Pontificatus noſtri anno quinto.

Aucta iam vbique nouelli huius Apoſtoli doctrinæ, & probitatis fama, plures Reges, & Principes illum ſaltem videre cupiētes inſtantiſſimis precibus ipſum ad ſe inuitabant; at ille per Morauiam, Bohemiam, & Miſniam in reducendis hæreticis occupatiſſimus, tres ſocios in Moldauiam miſit, quo etiam prius Huſſitarum errores penetrarunt: ipſe interim vbique per Iſtriam, Auſtriam, Hungariam, Morauiam Sileſiam, & Poloniam, Ordinis ſui Regularis obſeruantiæ cœnobia conſtruebat, & innumeris tyronibus è ſæculo conuerſis replebat, quæ per Nicolaum Pontificem in prouinciam erigi, & Italiæ vicariorum generalium obedientiæ ſubijci petijt, & impetrauit.

Sexaginta præclari, doctique viri in ciuitate Lypſienſi vnico ipſius ſermone concitati, ſimul

Digitized by Google

mul omnes ſe Religionis habitu; induerunt cumque Vratislauiæ quoque non minori operum, doctrinæque progreſſu verſaretur, Caſimirus Poloniæ Rex, & Sbigneus Cardinalis Cracouienſis Epiſcopus maiori ſemper ipſorũ videndi, audiendique ardebant deſiderio, maximè verò poſtquàm Fr. Ladislaum Hungarũ, & ſocios Cracouia tranſeuntes nouerunt, quos à Capiſtrano in Moldauiam miſſos iam ſupra narrauimus. Miſit ergo Cardinalis Ioannem Dugloſſium canonicum cracouienſem, & ſibi ipſi à ſecretis virum grauem, & doctum, qui morantem Capiſtranum in Poloniam ſollicitaret, & proficiſci paratum commodiùs deduceret: ſed priùſquam diſcederet Vratislauia, illuc aduenerunt Caſimiri Poloniæ, & Ladislai Hũgariæ Regum legati, vt connubia inter eumdem Caſimirum, & Eliſabetham Alberti Hungariæ Bohemię, & Romanorum Regis filiam paciſcerentur, quibus, communi vtriuſque gentis lætitia, ſancitis, inſignem in ipſo Vratiſlauienſi prætorio ſermonem habuit Capiſtranus, quem ab illis verbis exorſus eſt, *hæc dies quam fecit Dominus exultemus, & lætemur in ea*, & redeuntibus in Poloniam legatis, ipſe

cum

cum illis, ac Duglosſio profectus eſt.

Cracouiam autem in ipſo die feſto S. Auguſtini anno 1453. aduenienti rex cum Regina matre Sophia, Sbigneus Cardinalis Epiſcopus cum clero eiuſdem Regni, Principes, & Barones cum maximo ciuium comitatu, confraternitates cum religioſis cruces ſanctorumque reliquias deferentibus, ſenatus cum Regijs miniſtris, plebeſque deuoto cantu, & ſonitu cum tympanis, organis, & luminaribus ſacrum hymnum, *Te Deum*, canentes, non vti Principis maximæ licet poteſtatis legatum, ſed tanquam nuncium Cœleſtem, ac Dei Apoſtolum ſolemni ritu, ac deuotione extra vrbem ad locum Clepars vulgariter dictum obuiam iuere, eumque per vias floribus coopertas, parietibus omnibus per quas tranſiturus erat ditiſſimè ornatis, ad vrbem deduxere, ad cuius ingreſſum, dato ſigno, pulſatis omnibus campanis ciuitatis, accolæ montium, percurrente fama, deſcendentes, maximo cordis gaudio benedicere cœpere venienti, & laudare mittentem; Beatus verò in humilitate ſua perſeuerans, omnemque mundi contemnens gloriã

ſæpè

ſæpè ſępiùs oculis ad cælum eleuatis dictum Pſalmiſtæ repetebat: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*, alterum ſubiungens verſiculum, *laudate Dominum omnes gentes, collaudate eum omnes populi*; ſuũque proſequens iter ad cathedralem Eccleſiã deductus eſt, ſolitas diuinæ maieſtati gratias acturus; vbi maxima variorum muſicalium inſtrumentorum copia, tanta ſuſceptus fuit magnificentia, & maieſtate, vt, licet vbique ſummis ſuſceptus fuerit honoribus, nullibi tamen eius ſocij tantum conſpexerint obſequiũ & reuerentiam: at ipſe à tot honoribus cupiẽs liberari, licentiam à Regia priùs petens maieſtate, & Cardinali, ab iſto, etiam inuitus cum præmiſſa populorum ſequela ad paratam in foro domum aſſociatus fuit, ac die ſequenti in templo Diui Adalberti, ſumptuoſiſſimo erecto ſuggeſto, à clero pariter ſuſceptus, ſacro priùs miniſterio, pro more ſolito peracto, per duas integras horas coram populo numeroſiſſimo concionatus eſt; tanto tamen animarum lucro, ac ægrotantium ſubleuatione, vt proſcripta in primis vſura, omnique cum Hebræis commercio, nec non omni hæreſis ſuſpicione penitùs

nitùs

Digitized by Google

nitùs extincta, centum, & triginta Academici Baccalauri; ac liberalium artium vniuerſitatis Cracouienſis magiſtri, alijque a ſæculo conuerſi infra paucos dies ad Religionem fuerint recepti, ac prætereà plures quàm centum alij varijs morbis oppreſſi, ſolo ſigno Crucis à B. viro illis infixo, ſint perſanati, cùm cæci viderent, claudi ambularēt, ſurdi audirent, multique alij alta, & clara voce Deum, eiuſq; ſeruum magnificarent, quorum pleriſque in gratiarum holocauſtum ſe Deum offerentibus, tantumque magiſtrum ſequuturis, ac Religionem ingredi cupientibus, dùm tot ſimul educandis non ſuppeteret locus, quem Rex ante Capiſtrani aduentum pro tribus illis ſocijs, quos ante memorauimus erexerat: alterum ſtatim cœnobium extra ciuitatem à turbis remotum ſub inuocatione D. Bernardini cōſtrui, ac interim ligneam Eccleſiam proprijs expenſis Cardinalis erigi curauit, illudque paulo poſt, non parua ſui animi conſolatione numeroſiſſimis Deo dicatis animis vidit ornatum, atque repletum.

Cracouiam interea ſub initium anni ſequētis adducta Regis ſponſa Eliſabetha, celebra-

Digitized by Google

tiſque magna ſolemnitate nuptijs, rogatus Capiſtranus thalamo, & coniugibus benedicens, fœliciſſimum prædixit fructum, qui deinde ſecutus eſt in Cœlis, & in terris glorioſus Princeps S. Caſimirus potens, deinde in varijs caſibus Polonorum protector.

Læta omnia tunc erant, cunctique Angelico gaudebant aſpectu, ac Cœleſti doctrina Capiſtrani, eiuſque miris operibus fruebantur; ſed gaudium dolorè mixtum eſt; cum, capta per Turcas Conſtantinopoli, Chriſtianorum res in maximum venerit diſcrimen, & Barbarus inſoleſcens victoria, reliquæ Europæ vltimam minaretur perniciem; quapropter indictis Francofurti comitijs, in quibus Chriſtiani proceres defenſionis media, modumque deliberarent, illuc etiam Capiſtranus vocatus eſt; & priùſquàm diſcederet Cracouia, denuò hortationem repetijt, qua prius Regi Caſimiro ſuaſit, ne Chriſtianę militiæ cruciferos, quos animo concæperat perſequendo, ortodoxę fidei hoſtibus, quibus illi reſiſtunt, faueret, ſiniſtrum alioquin certaminis euentum his verbis illi prædicens. *Caue, ne hæc mea monita ſpernenti diuinum inſtet ſupplicium: Tui infeliciter*

ter

Digitized by Google

ter aduerſus hoſtes pugnabunt, & ipſe turpiter aufugies, & ſanè propheticè locutum fuiſſe monſtrauit euentus, dum Prutenos aduerſus Cruciferos paulo poſt adiuuans, multorum eius militum cæde, cæterorumque ferè omniũ captiuitate, propheticum Capiſtrani monitum recordatus ignominioſam Rex ipſe fugam arripuit.

Cracouia igitur cum centum viginti nouitijs vltimò ad ordinem admiſſis, ob amborũ conuentum ad tantam multitudinem ſuſcipiendam incapacitatem, Vratislauiam cauſas Hebræorum diſcuſſurum abeuntem Capiſtranum, Rex, & Cardinalis eodem ritu, & ſolemnitate, quo illum ſuſcepere, per ſeptem milliaria non ſine lachrymis proſecuti ſunt, dum ſeptuagenarium hominem per niues, & glaciẽ abſque callepodijs ſic itinerari conſpicerent, à quo petita, & accepta benedictione, Cracouiam regreſſi ſunt, & Capiſtranus Sileſiam peragrãs, & innumera vbique patrans miracula, ad vrbem Vratislauiæ peruenit, vbi maleficia inquirens Iudæorum, talia, ac tam enormia illorum inuenit flagitia, vt eorum tantum narratio horrenda videatur, & ſit.

Digitized by Google

Horrendiſſimi quippè accidere caſus; primuſque fuit, quod quidam ruſticus Iudæorum ſuaſu nouem ſacratas hoſtias è ciborio furatus eiſdem vendidit, quas linteo inuolutas ſuper rotundo poſitas tabulo perfidi cædebant virgis irriſoriè dicentes; *hic eſt Deus Chriſtianorum percutiamus illum inimicum noſtrum*: Quo Deus indignatus, ſanguine ex illis copiosè emiſſo, intincto linteo, ſe ipſum eſſe palam demonſtrauit; quod cum audiret Capiſtranus generalis inquiſitoris munere fungens, eos comprehendi, ſtrictèque examinari ſubitò curauit, ac ſuper illo, iuridico confecto proceſſu, torturam ſufferre non valentes, alia duo præter hoc enormiſſimum crimen Hebræi faſſi fuere, hoc eſt, quod alia vice ter in ignem hoſtia ſacra proiecta, intacta ſemper mirabiliter reſiliuit, cuius aſpectu quædam vetula ibi exiſtens ad fidem conuerſa, per iratos Hebræos occiſa, in obſcuro angulo ſepulta fuit; alterum pariter erat, quod Chriſtianum puerulum clam furati, varijs tormentis vſque ad mortem iniquè torſiſſent, eiuſque ſanguinem ſacrificaſſent, quorum reliquijs iuxta illorum depoſitionem in eodem angulo inuentis, brachio

tra-

Digitized by Google

traditi ſæculari, Ruſticus, Hebræique delicto-rum complices meritò concremati fuere; eorumque exemplo Rabinus, & alij idem metuentes ſupplicium, ſe ſtrangularunt, cæteris per Ladislaum Regem in exilium pulſis, ne ſimi. lia amplius audirentur.

Magna erant opera, quæ Capiſtranus Vratislauiæ magno ibi populi plauſu, ac deuotione ſuſceptus operatus eſt: credebant autem Huſſitæ, qui in vrbe fuerunt, ſe ipſius famam, & æſtimationem ſtratagemate denigrare, Deique viro illudere valere; ſed maximo inter alia per Capiſtranum aduerſus illorum ſtratagemata operato miraculo, plerique ad meliorem mentem, catholicamq; fidē reducti fuere; ipſo etenim die, quo Chriſti confeſſor, effuſo populi occurſu, ciuitatem intrauit, occurrerunt etiam hæretici viuum adoleſcentem tamquā defunctum in feretro ferentes, magnis precibus rogantes, vt Capiſtranus ipſum ad vitam reuocaret, ſed vir Dei à Deo doctus, non fidē, ſed fraudem ſubeſſe, alta voce coram tota multitudine dixit, *habeat portionem ſuam cum mortuis in æternum*, ſtatimque receſſit; tunc illi en inquiunt *ſanctum*, *en miraculorum pa-*

tra-

iratorem, qui non valuit suscitare defunctum, at nos in cœtu noſtro reperiemus, qui mortuũ ad vitam suscitabit, & vocato quodam hæretico, iuſſerunt, vt adoleſcentem viuificaret: vocauit ille, iuſſit ſurgere, & ambulare, ſed non fuit auditus, tetigit, ſed iam verè mortuus non ſenſit, truſit, & inanimè corpus eſſe certò cõperit; quo viſo, alij ad fidem conuerſi ſunt, & criminis veniam Capiſtrani pedibus prouoluti petiere, & aſſecuti ſunt.

Nurimbergam deinde pergens Vratislauia, vbique pari deuotione, ac ſolemnitate ſuſceptus, miro doctrinę fructu, & miraculorum prædicans copia, adeò populum commouit, vt tàm viri, quàm fœminę, tam nobiles, quàm plebei, & tam iuuenes, quam ſenes, relictis vitijs, omnia ludorum inſtrumenta, picturas laſciuas, libros amatorios, viriles luxus, ac muliebres pompas, & iocalia in vnum congeſta, ad maiorem Dei gloriam, Dœmoniſque inuẽtoris confuſionem in ſex magnis curribus, tanta erat illorum copia, detuliſſent, quæ Capiſtranus in foro publico concremauit, in cuius aceruo quædam turpiſſima Dœmonis exiſtens imago in papyro depicta, ac ex fumo vehe-

menti

Digitized by Google

menti, qui ex tabularijs exibat, in altũ eleuata vt ad locum ex quo receſſerat, feſtinè reuerteretur, Capiſtrano mandante, ſubito coram omnibus per rectam fumi lineam in ignem decidens horribilem ſpargens fœtorem combuſta remanſit, quod tantum admirationis reddidit, ac terroris, vt omnes præſentes mulieres quibuslibet minimis vanitatibus exutæ, ſtructuras etiam capitis in ignem vltro proijcerent.

Sic ſtrenuus hic fidei tutor, & fidelium ſalutis ardens zelator nullum metuebat diſcrimen, nullumque fugiebat laborem, vt vtramque, cum Apoſtolo procuraret, *in laboribus plurimis in itineribus, sæpè in periculis fluminũ in periculis latronum in vigilijs multis, in fame, in ſiti, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate* confundebat, & cõuertebat, hæreticos quippe arguebat, ſcriptis erudiebatq; ſermonibus, & pertinaces, ac perfidos iuſtè puniebat, ſedulò ſanctæ Inquiſitionis officio perditos hominum mores vbique emendabat, vitia extirpabat, ac ſtupendis, perpetuiſque miraculis cuncta confirmabat, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cultum, & in eo latentis, ſed potentis Dei timorem, & amorem

Digitized by Google

morem omnibus inculcabat, turpiſſimos abuſus, quibus Huſſitarum conſuetudo ſcatebat, detegebat, illeque vtili ſermone deteſtari curabat; quod tantum diuinæ placuit maieſtati, vt non ſolum liberam præſtiterit ei facultatem ægrotos à quibuslibet licet grauiſſimis, & incurabilibus morbis perſanandi, & obdurata hominum corda ſermonibus emolliendi, ſed arcanorum quoque cœleſtium eum participē fecit, vt occulta abſentia, futuroſque euentus prophetico ſpiritu æqualiter, & veraciter cognoſceret; quod dum ſæpiùs aliàs claris rerum reuelationibus comprobaſſet, nouum eius fuit argumentum: quodam etenim die Epiſcopum Papienſem à Nicolao Pontifice ad Imperij diætam legatum alloquens, grauiſſimo ſuſpenſo ſermone, *oremus* (ait) *pro defuncto Summo Pontifice Nicolao*; cui cùm difficilem fidem præſtaret Epiſcopus, eo quod paulo ante per tabellarium firma eius ſalutis peruenerat notitia, paucis tranſactis diebus eius mors omnibus reddita certa, cunctis ſpiritum Capiſtrani propheticum patefecit.

Porro Capiſtranus in diæta Francofordienſi efficaci ſuo ſermone cum Aenea Syluio, qui

Cæſa-

Cæſaris loco comitijs intererat, viua dexteritate fecit, vt Chriſtiani Principes à prioribus auxilijs Ratisbonę in Turcam decretis reſilientes, eadem denique confirmarent, ac denuo ſancirent, qui etiam id ſtatuerunt, vt ſequenti Pentecoſte alius coram Cæſare ipſo fieret in noua ciuitate conuentus.

Maximus erat vicinarum partium concurſus, omniſque conditionis hominum multitudo, qui aduenientem Capiſtranum proceſſionali ritu, ſummaque deuotione cantantes procul extra vrbem excipiebant, illique viciſſim omnes varijs morbis ægrotantes ad ſanctiſſimas eius conciones adeuntes, omnimodam tàm temporalem, quàm ſpiritualem recipiebant ſanitatem, quolibet domum ſuam incolumi, crochijs, & grabatis derelictis, ac debitis Deo, Beatoque viro redditis gratijs, remeante; ipſe verò Pragam denuò penetrare tentans, nec valens, à Regibus Angliæ, & Hungariæ, cæteriſque Magnatibus, varijs deprecationibus per literas, & legatos repetitus, diuinam orauit maieſtatem, vt ad maiorem eius gloriam greſſus ipſi dirigere dignaretur; cuius accepta deprecatione, cum die ſequenti ver-

Digitized by Google

verbum Dei more ſolito proponeret, vocem cœlitùs ad ſe délatam huiuſcemodi audiuit: *in Hungariam in Hungariam perge, nec amplius morare*, quo lætatus ſermonem abſoluere ſatagens, alteram cœleſtem pariter audiuit vocem dicentem. *Quid agis, quid agis? cùr non petis Hungariam? finem inpone, & ambula*; quapropter concionem ſtatim abſoluens ac populo benedicens, cœleſti quadam hilaritate repletus ad ſocios conuerſus ait; *Eſtote parati dum in Hungariam vocati ſumus à Deo*: ſed priuſquam in Hungariam abijt Regi Angliæ per epiſtolam ſe excuſauit; quæ quoniam & hiſtoriam, & doctrinam omnibus continet ſalutarem, eam ſic inregram deſcribere placuit.

*
* *

Sere-

Sereniſſimo Principi colendiſſimo Domino Angliæ Regi, &c.

SEreniſſime Rex, & Excellentiſſime Domine, orationibus fideliſſimis præmiſſis commendationem humillimam cum omni officio obſequendi. Quàm auidè imbecillem præſentiam meam erga ſe cupiat Veſtra Serenitas, Illuſtriſſimus conſanguineus ſuus Dom. Marchio Badenſis dulciſſimis, grauibuſque verbis nuper expoſuit, ad quàm quidem rem exoluendam non tantùm eadem Serenitas Veſtra, quantùm ipſe promptior auidiorque fuiſſem niſi comminata in Chriſtianos clades huius ſceleſtiſſimi Turcarum Imperatoris, communiſque fidei noſtræ defenſio aduentum ad vos meum impediuiſſet. Ad inuictiſſimum namq; Cæſarem, & inde ad Hungaros abſoluta præſenti diæta neceſſarius compulſus ſpiritu, erit aditus meus, vt vel ſaltem tepidos excitem, vel feruentes aliquibus ſermonibus contra hunc inimicum Crucis feruentiores efficiam. Accedit ad hoc vt iam ab Hungaris repetitus pollicitus ſim illis aduentum ad ſe meum poſt dictam hanc omninò futurum. Parcat igitur ſacratiſſima Maieſtas Veſtra ſeruulo ſi impræſentiarum expetita vota nequeat adimplere, nam & donabit altiſsimmus M. V. futuro tempore paruitate mea frui pro libito, meque inutilem eidem M. obſequi poſſe. Præterea de infirmitate veſtra aliquid mihi relatum eſt, de qua ægritudine me plurimùm lætari ſi dixerim, mirabitur fortè V. M. an nè de his quæ inferat Deus, mæſtus debeam

condolere? Minimè, benedicam Dominum in omni tempore, Pſal. 33. verſ. 2. *Sanctus Propheta dicebat. Si ſanus, ſi æger, ſi diues, ſi pauper, ſiquidem* in omni tempore Dominum benedicam, ſemper laus eius in ore meo: *non vapulat filius haud dilectus à Patre, ſed quem Pater diligit natum reprehendit, & verberat; ſicuti ſcriptum eſt:* Quem diligit Deus ſæpè corrigit, & caſtigat Prou. 3. v. 12. Matt. 18. verſ. 26. *Non ne iuſtus Iob ſanctuſque Tobias, alter lepra, alter cæcitate percuſſi fuere? ſed neque peccauerant, vnde tanta deberet illis inferri percuſſio, & quoniam lætantur & abſque murmure, & ſine querela patientiam Domini ſuſtulerunt, adhuc in hoc ſęculo priſtinam recuperarunt ſanitatem, eamque reſumere à Deo facti ſunt digni. Fortaſſe V. S. & patientiam & virtutem experiri voluit Deus, qui ſemper ferit, vt ſanet electos, qui ſemper nouo vulnere antiquum excludit vulnus, quique ardenti excoquit ferro, vt marcidum pus è ſanabili expurget plaga,* patientiam, *igitur*, habe, & omnia reddam tibi, *dicit Dominus. Quod ſi eadem V. M. hoc Dei conſilium, veræ ſcilicet patientiæ habendę effectum fuerit amplexata, non dubito optatam valetudinem à Deo conſecuturam forè. Inſuper ſanctæ diſpoſitioni veſtrę de conſtituendis* Monaſterijs *nouis in decus Dei, & S. Bernardini nihil aliud adijcio, niſi, vt dixeram, non valere ſine operibus fidem. Quamobrem ſi conſtruatis monaſteria, non mihi, non cæteris, ſed vobis ſolum totidē in cæleſtibus æterna Palatia conſtruxiſſe ſciatis velim; breues enim dies noſtri ſunt, & breui ſpatio cuncta*

quæ

quæ ſub cælo preſtantur preueniente morte relinquimus, virtutes aut vitia, bonumque aut malum, quę miſeri fecerimus nobiſcum ſolummodo reportantes. Si igitur M. V. dicta Obſeruantiæ loca ſeu Monaſteria fabricare decreuerit, ſuæque conſcientiæ conſulere ad Reuerendiſs. P. Vicariũ Franciæ, & ad Guardianum ibi propinquum litteras meas do confidens omni deuotione S. V. pro viribus conſulturos. Cæterum portiunculam ſanctarum Reliquiarum S. Bernardini, quę apud me ſunt, rogatu eiuſdem Illuſtriſſimi Dom. Marchionis ad M. V. mitto nempè, ſi maximo deuotionis fideique feruore exceperitis illas, poterunt miſeratione diuina optatæ vos valatudini condonare; at fide deficiente, & miſerantis Dei deficiet larga manus. Fidem ergo habeat V. M. ſi ſanari deſiderat, fidem cum operibus dico; cum ſine operibus mortuam dicat Apoſtolus. Qui ergo fidem habet, Deum ſuper omnia diligit, eius mandata cuſtodit, ludos prohibet, tabularia, aleas, taxillos, & huiuſmodi nefanda comburi mandat; Iudęos expellit, vſuras vetat, malas conſuetudines tollit, bonas adducit, probos euehit, malos odit punitque, ſacra conſtruit, confeſſiones frequentat, audit miſſas, Religionem colit, eleemoſynas dat, pauperibus fauet, iuſtitiam amat, & vitia deteſtatur. Hęc enim hortor, pro aſſequenda fide pro impetranda ſalute, pro Chriſti honore, pro mundi bona fama, iſta efficere non omittat S. V. O quàm cuperem potuiſſe ad vos venire, ſed fidei noſtræ defenſio, quę in Hungariam proficiſci me cogit, excuſatum me apud Veſtram celſitudinem facile reddet. Rogo tamen S. Rex atque per effuſum ſanguinem

guinem

Digitized by Google

guinem Domini noſtri Ieſu Chriſti obteſtor, vt hoc tempore, quo ab impiiſſimo Chriſti hoſte Chriſtiana fides quatitur, quo Chriſtianorum nouus ſanguis ſupra modum effunditur, & effundi magis magiſque timetur, quòue, niſi celerrimè ſuccurratur, facile dabitur de nobis omnibus hoſti tryumphus, adeſſe velit potentiſſima manus veſtra vna cum cęteris Principibus, quos excitatos ad id iam videmus, quorum multi polliciti iam ſunt cum omni potentia ſua perſonaliter ſe fortè ituros. Habet pręterea V. M. ad huiuſmodi expeditionem excellentiſſimos Principes, bellicoſiſſimos milites, robuſtiſſimas gentes, numeroſiſſimos populos, auri, argentique perampliſſimas facultates, ita vt ſi voluerit ad expugnandum hunc immaniſſimum Mahometh auxiliante Deo ſola V. celſitudo ſufficiat. Aggreaimini ergo, Rex potentiſſime, virili animo expeditionem hanc, & virtutes veſtras religionem, zelum fidei, & Dei noſtri dilectionem hac in re facto monſtrate, ita vt videat omnis terra vos eſſe Chriſtianiſſimum Regem, & pro defenſione fidei Catholicæ non corpori veſtro, non animæ, nedum perituris opibus peperciſſe. Valete, &c. die 24. Octob. 1454.

Scripſit etiam Capiſtranus Calixto III. Pontifici tunc nouiter electo, vt, & Apoſtolicam benedictionem, & neceſſarias facultates ad pergendum in Hungariam illi concederet; cũctaque, quæ voluit, accepit: ſciens verò ſe non ampliùs in Germaniam reuerſurum, Viennam

re-

regreſſus, ambo Diuorum Theobaldi, & Bernardini cenobia viſitaturus, ac vltimum dicturus vale illis confratribus eius filijs cariſſimis, nec non ab ipſo tanta charitate, & amore paulo ante ad ordinem receptis, nocte poſtrema, qua cum eis commoratus fuit, perſoluto matutino, deuoto, & affectuoſo ſermone ad regularem obſeruantiam conſtanter tenendã hortatus eſt; & aſſumpto ex Apoſtolo themate, *in diſciplina perſeuerate*. Prouinciã fratri Gabrieli à Verona eiuſdem vicario cæteris aſtantibus iterum, atque iterum commendauit, & in genua prouolutus, propheticè prædicens non amplius eos ipſum viſuros, magno fletu, & lachrymis vale dixit, ſinguloſque amplexus fuit.

Ladislai igitur Regis omnium ferè vtrius, tàm Eccleſiaſtici, quàm ſæcularis ordinis literis, & nuncijs ſollicitatus, in Hungariam pergit, & Taurini cum illis per dies aliquot in comitijs hæſit, ac, finito conſeſſu, per multas ciuitates, & oppida Regni diſcurrit, plurimos hęreticos ad fidem conuertendo, continuò prædicando, miracula more ſolito patrando, donec Budam ad altera Regni comitia vocatus,

Digitized by Google

tus per Ioannem Cardinalem Caruaiallium, cui Capiſtranus ipſe Apoſtolicæ legationis comes per Calixtum Pontificem aſſignatus fuit, ſacri belli in Turcas decreti rubea cruce ſignatus eſt, & conſtitutus eiuſdem ſacræ Crucis prædicator, & collector, ac Cruce ſignatorum anteſignanus quam ille reuerenter, ac deuotè ſuſcipiens, religioſæ aſſutam veſti continuò deferens, labores duplicabat, cum per Hungariam, Tranſiluaneam, & Vualachiam diſcurrens, fidelibus aſſiduè prædicaret, infideles doctrina, & poteſtate conuerteret, plurimos ad Chriſti militiam adſcitos cruce contra Turcas portanda ſignaret, & Hungariæ proceres in belli fœdus vniret: vndecim Vualachiorum millibus cum Pſeudo Antiſtite, & capite, triũ tantum menſium ſpacio, maxima Dei gloria, Chriſtianorumque gaudio conuerſis; ſed vigẽte, & appropinquante Turca, præcipuum in augendo cruceſignatorum numero poſuit ſtudium, ſic ipſis inter alia, ſacrum perſuadens certamen, *O quàm fœlices, qui in hac pugna Chriſti morientur, quia ſtatim ab Angelis cum Sanctis Martiribus, qui pro fide mortui ſunt, coronabuntur*; quibus, alijſque diuinis elo-

quijs

quiijs cœleſti concurrente afflatu ſupra ſeptuaginta millia Germanorum, quibuslibet etiam importantiſſimis negocijs, & familijs derelictis, crucem ſponte ſub Capiſtrani auſpicijs militaturi.

Nec ideò à conſuetis ſuis ſpiritualibus, pijſque exercitijs ob tot renouatos labores, vel minima illorum parte abſtinuit Capiſtranus, immò ad omnium admirationem ſeueriùs ſuum domitans corpus, hoc viuendi methodo, & ſi decrepitus, toto vitæ ſuæ curſu vſque ad mortem vti conſueuit: veſtitus dormire, ante lucē ſurgere: matutinum, laudes, Primam, & Tertiam orare, diuina exindè myſteria celebrare: his peractis ſermonem ad populum pronunciare, finito ſermone ad cœnobium ſui ordinis reuerti, ac Sexta, & nona completis, infirmos viſere, diù apud eos morari, manus omnibus imponere, biretum D. Bernardini, cui omnia ob humilitatem tribuebat mirabilia, & cruorem, quem illi mortuo è naribus fluxiſſe ferunt, ſingulis ægrotantibus admouere, quos rarò infra quingentos fuiſſe conſtat, ſuplex pro omnibus precari, exindè pane tantum, vt pluries, & aqua cænare, ijs demùm, qui ad ipſum

Digitized by Google

accedebant, audientiam præbere, mox veſperas dicere, hiſque completis ad ægrotos reuerti, atque cum his vſque ad noctem ſe exercere; tumque demùm completorio, & alijs dilectis precibus expletis, corpus quieti dare, poſt minimum, quod ſomno indulgebat, ad reuiſendos ſacrę ſcripturę codices, cōponendoſque tractatus, ad maiorem diuinę fidei exaltationē, eiuſque propugnationem infra, in fine huius opuſculi diſtinctè referendos, pauxillum furari temporis, ac cilicijs, & diſciplinis carnē ſuam in ſeruitutem redigens, ſic vir ille quaſi cœleſtem vitam abſque ſorde, abſque peccato interris agebat immaculatam, vt aiunt Pius II. Pontifex, cæterique quamplurimi ſcriptores celeberrimi, quæ omnia tàm grata Altiſſimo fuere, vt præter munera ei præſtita generalia, ſingulari gratia futuros etiam poſt eius mortē euentus prçuidendi muniuit, dùm acerrimam totius ferè orbis conquaſſatiouem pręmeditatus fuit; nam quadam nocte in Hungariæ oppido Themeſuar exiſtens, ac aſſiduè, more ſolito, loco quieſcendi miſericordioſiſſimum perorans Deum, vt contra populum ſuum iratus placari dignaretur, in talem fletum, & eiu-

latum

Digitized by Google

latum prorupit, vt eius comes frater Hiero-
nymus ab Vtino huius rei teſtis, & relator, dùm
ex continuis, laborioſiſſimiſque peregrinatio-
nibus laſſus obdormiret, fuerit excitatus; ac Io-
annem ab imo pectore ſuſpirare ſentiens, illũ-
que perſeuerantem obſeruans, acuta voce cla-
mitantem audiuerit: *miſerere, miſerere Domi-
ne Deus clemens, miſerere populo tuo redempto
pretioſiſſimo ſanguine tuo, miſerere per vulne-
ra tua, miſerere per Crucem tuam, miſerere
per ſingula myſteria diuiniſſimæ, & miſericor-
dioſiſſimæ paſſionis tuæ;* & ſic diù proſequentẽ
ſemper miſerere audiuit exclamantem, dùm
pro futuris Chriſtianorum miſerijs iam tunc
ipſi notis feruentiſſimè oraret, quibus poſt e-
ius obitum vniuerſus repletus eſt orbis, cùm
totius Siciliæ Regni fundamenta contremue-
rint, ciuitatibus, oppidis, & arcibus omninò
ferè diſſipatis, ſuper ſexaginta millia hominũ
in vno ferè momento mortui fuerint, Turcæ in-
genti Chriſtianorum dolore maxima remea-
uerint victoria: Itali, & Almani crudeliſſima
fuerint peſte percuſſi; in Italia, Almania, Hun-
garia, Anglia, Hiſpania, & Aragona deplora-
bile bellorum conſlatum fuerit incendium, &

Digitized by Google

commutatis dominijs, plerique Procerum, & Magnatum ex hac vita migrauerint, in Aprutio horrendi auditi fuerint terræmotus, Idem Siciliæ Regnum validiſſima oppreſſum fuerit fame, ac demum tota Chriſtianorum Reſpublica inter anguſtias, & miſerias à Capiſtrano clarè præuiſas afflicta fuerit recordata; ſed Hieronymus Capiſtrani ſocius ipſius orationis & gemituum exitum diù præſtolatus, ſibique perſuaſus, magiſtrum diuinis reuelationibus aſſuetum, non ſine noua futuri cuiuſpiam ſiniſtri euentus præuiſione tanto feruore, & eiulatu deprecari, malum curioſus diſcere voluit, quæ tanta mala ab hominum genere diuerti voluit Capiſtranus? ſed nullum aliud retulit à Ioanne reſponſum, quàm quod, nec inſolitum, nec propterea mirum eſſet, ſenem ſeptuagenario maiorem aliquando delirare: ad quæ nihil aliud replicare potuit Hieronymus, quam vt miraretur Capiſtrani familiaritatem, facilitatemque in detegendis, quę ſunt occulta Dei, & deuoto ſilentio tantam eius veneraretur humilitatem, vt potius delirij notam ſubire mallet, quàm occulta diuinæ gratiæ dona ſibi collata manifeſtaret.

Acce-

Digitized by Google

Accelerabat Belgradum verſus numeroſiſſimus Turcarum exercitus, cædem, aut ſeruitutem Hungaris minitans, & copijs terreſtribus ſupra ciuitatis arcem collocatis, ne Chriſtiani per Danubium ſuccurrere poſſent, vtrũque fluminis ripam per triremes denſis ordinibus concatenatas iunxerunt, neque poſſibile fuit, non ſuperatis, arci vel ciuitati opem, auxiliumque ferre.

Defuerunt interim omninò ſuppetiæ in comitijs promiſſæ, aderant ex omnibus Ioannes Hunyades cum ſola ſua clientela, & Ioannes de Borogh Orbani comes cum turma ſuorũm clientum equeſtri, qui cum rem deſperatam exiſtimaret, crucẽſignatorum copias vndequaque vocat omnes ad fortitudinem Capiſtranus & conſtãtiam hortatur, pugnamque perſuadet Huniadi: vnde Huniades ipſe alteram fluminis ripam cum equitibus, alteram Capiſtranus, elato Crucis vexillo cum paucis peditibus muniunt apud Sauam locum, vbi iungitur cum Danubio, ac reliqui nauiculis ſecundo flumine vehuntur.

Diſponebat Huniades quæ militum artem exigebant, Capiſtranus verò, elato Ieſu nomi-

ne

Digitized by Google

ne pugnantes animabat, verſoque aduerſus hoſtem ſanctiſſimæ Crucis vexillo, ſumma animi pietate alta voce dicebat: *ecce Crucem Domini fugite partes aduersæ*, & interim ex ipſa ciuitate, condicta hora, contra torrentem aliquot Chriſtianorum aſcendentes nauiculæ; adeo Turcas vtrinque aggreſſi fuere, præcinēte Capiſtrano, Ieſu nomen acclamantes, vt quinque horarum ſpacio danubij curſum, vſque ad ingreſſum Belgradi liberum ſibi fecerint, ſubmerſis Turcarum tribus triremibus, captis, inter magnas, paruaſque alijs viginti ſeptem, ac reliquis torrentis impetu, & inſequentium Chriſtianorum vi fugatis, nulli vſui deinceps aptæ, ipſius magni Turcæ mandato combuſtæ fuerint, ac ſubmerſis, trucidatiſque Turcis circiter quingentis, reliqui, qui aufugerunt, omnes ferè lethaliter vulnerati manſerunt: quemadmodum victoria non tàm humanis viribus, aut virtuti bellicæ, quàm potentiæ ſanctiſſimi nominis Ieſu, Capiſtranique meritis, & precibus à pleriſque meritò fuit attributa.

Turcis igitur ex Danubio profligatis, ac libero noſtris relicto fluuio, plenaque poteſtate

in

in ciuitatem, & arcem inuehendi, eundiquc quod vellent, non tamen ceſſarunt barbari arcis mœnia tormentorum ictibus conquaſſare, nec pauci quo inerant Chriſtiani, gubernante Michaele Zilago, ſe ſtrenuè defendere; cùm vero interim Hunyades, & Capiſtranus, illicò parta victoria, in aduerſa fluminis ripa in ipſo loco pugnæ naualis dicto Semley vno milliari ſupra ciuitatem ſua caſtra metati fuerint, ipſique ambo cum ſelecta militum copia arcem ingreſſi, Hunyades nouos milites in arce diſponit, necnon Capiſtranus omnes confortans, antiquum totum abducit præſidium, &, relicto in arce Hunyade, eadem nocte ad caſtra reuerſus, laſſos, ac debiles refocillare curat, ſaucios, & infirmos ad tutiora loca curandos diſtribuit, ac frumenti, vinique copiam accuratiſſimè mittit in arcem.

Terruit tamen Hunyadem conſpecta ex arce tanta Turcarum multitudo, tantuſque apparatus belli, vt totius Chriſtianorum orbis vnitis viribus, ipſe ad defenſionem opus eſſe viderentur, maximè cum iam exteriores arcis muri eſſent conquaſſati, nec alios ſibi milites adeſſent, quàm pauci inermes, & inexperti

cru-

Digitized by Google

crucesignati, quos ex plebe artificum, & piorum cœtibus prędicatio collegerat Capiſtrani; quod cum hic aduerteret, prudenter ducem certa diuini auxilij ſpe confortans, *Dei* (inquit) *agimus cauſam) ipse eam defendet*; ac ſæpe ſæpius hæc pronuncians verba: *Domine Ieſu Chriſte causa agitur tua, defende illam*, hoc modo de die in arce, & de nocte in caſtris omnes animabat; conuenerant enim ad paucos dies in Semley ſexaginta circiter millia crucesignatorum, quos Beatus vir excipiebat, ſuiſq; locis turmatim collocabat, illoſque Chriſti ſacramentis muniens, ad ſtrenuè, fortiterque pro Chriſti cauſa pugnandum ſic hortari curabat: *Nolite, nolite timere, quia potens eſt Deus ita saluare in paucis ſicut in multis*; in quem ipſe totius belli ſpem omnimodam ponens, nunquam triſtis, aut timidus viſus eſt, tametſi nulla eſſet Chriſtianorum cum numeroſiſſimis Turcarum copijs comparatio; Immò gaudebat ſummoperè Capiſtranus in deuotiſſimis, qui, licet ferè omnes inermes, & imbecilles eſſent, tantum attamen zelum propugnandæ fidei habebant, vt alacres ipſum quocumque duceret, ſequi vellent, nec alium ſe ducem

ha-

habere declararent; tantomagis, dum ipſemet Dux Hunyades aliquid abſque prudentiſſimo Capiſtrani conſilio non gerebat, tanta erat eius apud iſtum ſapientiæ, & probitatis opinio, & æſtimatio.

Capiſtranus autem, nunquam prætermiſſa ſacrificij celebratione, ſomnum, cibumque negligens, & hinc inde ſuorum animos ſubleuaturus, aliaque diſpoſiturus diſcurrens, cauſam Deo continuò omni deuotione, & feruore commendabat.

Spumabant intereà Turcæ glorioſiſſima Chriſtianorum victoria, ac ira, & dolore ſummopere oppreſſi ſuperbi fremebant dentibus, Triremiumque damno exaſperati, nonnullorum Chriſtianorum capita præcidentes in altum ſuper altiſſimis haſtis, longiſſimiſque lanceis ad noſtrorum terrorem, & ſpectaculum tollebant; ſed non conſternatur Capiſtranus, quin potiùs illorum ſortem æmulatus, qui mortem tàm glorioſam pro Deo ſuo ſuſceperunt, martyrium ſibi ipſi cupiens repetebat; *O vos fœlices, dum cœleſtem recepiſtis mercedem, & gloria fruemini ſempiterna.* Creſcebat barbari hoſtis ferocia, ac ſuis viribus con-

tra Chriſtum confidens, ignitos globos; & ſaxa è tormentis in ciuitatem, & arcem pluere iuſſit, ac montibus, ſyluiſque translatis repleri foſſas imperauit, vt plana via ſuis ad arcis expugnationem ſterneretur, & facto impetu, prima arcis area potitus eſt; Quapropter Regius Gubernator Hunyades animo carens deſerit arcem, & noctu ad Capiſtranum in caſtris vigilantem deſcendens *victi ſumus* (inquit) *O Pater, & in Turcarum citò deueniemus poteſtatem, dum solo primi caſtelli potiti, absque dubio craſtina die arcem ingredientur, maximè cùm nos ad tantam multitudinem, et potentiam inhabiles, inermes, et inexpertos habeamus bellatores*; Sed Capiſtranus certus de victoria per diuinam reuelationem effectus, minimè territus eſt. Dum enim quadam die prius quam ad naualem pugnam deſcendiſſet, dùm diuina celebrans, feruenter oraret, vt Deus Chriſtianam ingratitudinem reſpicere nolens, cauſam ſuam tueri dignaretur, quædam ſagitta cœlitùs emiſſa, ante eum ſuper altare cernentibus omnibus, qui aderant ſacrificio, velociter cecidit, in qua hæc verba litteris aureis legit inſcripta: *Ne timeas Ioan-*

nes

nes, vt cœpisti descende, ac propera, quia in virtute nominis mei, & Sanctiſſimæ Crucis victoriam de Turcis obtinebis. Quapropter vt Hunyadis animum erigeret: *ne formidet* (inquit) *animus tuus ò Domine, quia Deus erit nobiscum, qui potens est, & hostes subigere, & eneruare; ne timeas, & fidem habeas in illo, quem ſi pro nobis habemus, quis contra nos?* Ille verò timens, & titubans *crastina* (inquit) *die castellum non ampliùs in nostra habebimus potestate.* Cui Capiſtranus diuina promiſſione ſecurus, *nequaquam ò fortiſſime Hunyades, nequaquàm id fiet, sed nostrum erit, & Tu, qui iam sæpius Turcarum superbiam, & insuperabilem potentiam vi, & arte superasti, non desponde nunc animum, certus, Christum pro te pugnaturum.*

Verùm nullo modo poterat perſuadere Hunyadi, vt in arcem reuerteretur; ac propterea ipſemet Capiſtranus, relicto in caſtris Hunyade, quatuor millia cruceſignatorum eligens ex acie, eos in arcem introduxit, & cum Michaele Zilago ad barbarorum impetum repellendum diſponens, efficaci ſermone hortatus eſt, vt pro Deo, & Religione, pro

Digitized by Google

animabus ſuis, ac tota Chriſtianorum Republica fortiter, & confidenter dimicarent, Ieſu nomen frequenter inuocarent, eoſque commendans Zilago, ipſe inutiles (pro ſuo more) curandos eduxit, & præcedente Crucis vexillo eadem nocte ad caſtra reuerſus eſt.

Erat iam vigilia feſti S. Mariæ Magdalenæ, cùm ſub veſperas Turcæ magno impetu arcem inuadunt, & pugna vtrinque atroci barbari ſua multitudine ſuperantes Chriſtianos, circa noctis medium potiti ſunt prima arcis area (erat enim triplici vallo, foſſaque munita) & caſtra in ipſamet conſtituunt area. Quemadmodum Michael Zilagus arcis Gubernator, Turcas pari facilitate reliquis potituros exiſtimans, in interiorem arcem ſe retrahens, & cariora quæque ſua nauibus imponens, per Danubium cum ſuis euaſit, & arcem omninò deſeruit, relictis inibi ſolis crucesignatis Capiſtrani, eiuſque fratribus ſocijs, qui orationi, & ſacris miniſterijs pugnantium inſiſtebant. Cumque hic rei ſtatus ad chriſtianorum caſtra delatus eſſet, tunc Hunyades querelas apud Capiſtranum ingeminat, arcem iam à Turcis poſſeſſam, & à Zilago deſertam, de-

re

re Chriſtiana actum eſſe, apertè nunciat; Sed Capiſtranus cum ſilentio ab illo recedens, aliquot ſelectas turmas in arcem inducit, illoſque fortiter agere ſuadet, ac ipſe ſtatim cum debilibus, & ſaucijs ad caſtra redit.

Intereà verò Turcæ alteram foſſam copioſiſſimo milite repleuerunt, alteriuſque arcis pontem iam occuparunt, ſed cum recentes illi cruceſignati, quos Capiſtranus introduxit, fortiter illis reſiſterent, & Ieſu nomen validè conclamarent, reliqui chriſtiani, qui adhuc in exteris areæ muris cum Turcis pugnabant, vnanimi conſenſu tamquam à Deo inſpirati, congregarunt paleas, faſces, aſſeres, trabes, & alia huiuſmodi, quæ inſperſa etiam puluere tormentario, & admoto igne, ſuper Turcas in foſſam proiecerunt; Quapropter Turcæ fumo, & flammis ſuffocati, nec non à crucigeris ex arce ſuperiori ſaxis, & ſagittis fortiter continuò percuſſi, in fugam feſtinè vertuntur, qua etiam ipſis denegata, aut in ignem incidentes comburebantur, aut ignem metuentes in manibus fidelium captiui reddebantur, ſeu mirum per pontem exeuntes à tergo baculis, ſaxis, igne, manibus, & gladijs à Chriſticolis mactabantur, quorum tanta fuit

cædes

Digitized by Google

cædes, ſtrage tota nocte durante, vt, vndique effuſo ſanguine, ac foſſis Turcarum cadaueribus coopertis, ſuper illorum corpora per multos dies Chriſtianos tranſire fuerit neceſſe: eoque mirabiliùs, quo vix ſexaginta noſtrorum interfecti fuere. Quemadmodum Turcis ferè cunctis conſternatis, eorumque viribus deficientibus, mane ſequenti ſurgente aurora, ipſo die feſto D. Mariæ Magdalenæ memorabili dicato, aliqui cruceſignatorum, fauente Deo, animoſiores effecti in hoſtes abſque mandato inordinatè irruentes, licet contrarium iuſſiſſet exercitus Imperator, neutrum metuerunt periculum; quos abſque Duce videns Capiſtranus, poſt repetitas, ſed fruſtratorias reuocationes, in campum illos faciliùs iuxta Hunyadis præceptum reuocaturus, feſtinè deſcendit, & hinc inde diſcurrens, minimè reuocare valens, ne perirent, & in aliquod inciderent diſcrimen, dùm pauci circa duo millia ferè inermium foſſorum eſſent, ac aratorum, imperterritus in Deo fiſus Omnipotenti, prudentiſſimè animauit eos, *Hæc eſt* (inquiens) *illa dies, quam expectabamus; tranſeamus, tranſeamus, ecce nunc tempus acceptabile, hæc dies ſalutis, occurrite inimicis Crucis*

Chriſti

Digitized by Google

Christi, nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; Sicque baculo cum ſigno Thau tanquam alter Ioſue Sanctus ſuſtentatus ſenex, altiſſima, quantùm poterat, voce Ieſus, Ieſus clamitans, Sanctis ſpei, fidei, & fortitudinis munitus virtutibus, ſuos præcedens cruceſignatos, Turcas adeo diuiniſſima acclamatione perterruit, vt, equis, curribus, Camelis, auro, argento, annonis, bombardis, cæteriſque inſtrumentis militaribus, machiniſq; bellicis relictis infinitis, multiſque illorum, diuiniſſima pugnante dextera, millibus interfectis, captiuis alijſque retẽtis, ad propria cæteri, ſed pauci die 22. Iunij 1456. inglorij, męſtiſſimi, ac tremebundi, velociſſimã non amplius reuerſuri, fugã arripiẽtes rediere.

Tam ſolemni parta victoria, Capiſtranus ab expugnatis Turcarũ caſtris Belgradum redijt, actiſq; Deo gratijs, eodẽ ipſo die literas hic referẽdas ad Calixtum Pontificem dedit, quibus eũ de victoria per Deum parta certiorem reddidit, quæ quã chriſtianis omnibus vtilis, & iucunda, & quàm Calixto Põtifici fuerit, cęteriſq; Principibus eſſe debuerit, Calixtus ipſe hoc ſequenti ad Capiſtranum dato reſponſo declarauit, & ait in primis Capiſtranus.

BEA-

Digitized by Google

BEATISSIME PATER.

NON ego inermis, aut iuutilis ſeruus, aut pauperes, & rudes cruceſignati veſtræ Sanctitatis ſerui deuoti potuimus noſtris viribus hoc facere: Deus Dominus exercituum fecit hæc omnia; illi gloria in ſæcula ſeculorum. hæc ſcribo breuiter, & raptim defeſſus rediens ex pugna, citò ſcripturus magis diſtinctè, quę facta ſunt in particulari ex Munderalba in feſto Sanctę Marię Magdalenæ ipſo die glorioſiſſimę victoriæ.

Poſt pedum oſcula Beatorum gaudium, & exultationē, gloria in altiſſimis Deo, à cuius miſericordia prouenit, quod non ſumus conſumpti; in tanta enim eramus tribulatione, atque in tantis anguſtijs conſtituti, vt omnes putauerint, non poſſe amplius reſiſti Turcarum potentiæ, atque ipſe Dux Huniades (re vera) Turcarum terror, & fortiſſimus Chriſtianorum propugnator iudicauerit deſerendum eſſe caſtrum Munderalbę, ita enim fortiter, & inceſſanter arcem fortiſſimam Maumetani oppugnabant, & tot machinis muros diruebant, adeoque terribiliter contra noſtros pugnabant, vt iam vires noſtræ defecerint, & præcipui milites fuerint conſternati; ſed in medio tribulationis viuificauit nos Dominus, nam ab vrbe expulſi, cum doloſè recederent feriſſimi inimici, vt noſtris exeuntibus pararent inſidias, & ſi Dominus Huniades iuſſerit, ne vllus ex noſtris militibus caſtrum exiret, non curauerunt tamen de precepto eius cruceſignati, ſed irruentes in hoſtes in magno

ſe

ſe poſuerunt periculo. Ego vero minimus ſanctitatis veſtræ ſeruus cum illos ex muris reuocare non poſſem, in campum prodiui, & hinc inde diſcurrens modo reuocabam modo animabam, ne ab inimicis circumdarentur, & tandem Dominus, qui tam bene ſaluare poteſt in paucis, quam in multis dedit nobis miſericorditer victoriam, & fugere fecit immaniſſimum Turcarum exercitum, & noſtri omnia illorum obtinuerunt tormenta, & machinas Diabolicas, quibus totam Chriſtianitatem putabant ſibi ſubijcere. Exultet ergo Sanctitas veſtra in Domino, & offerre illi iubeat laudem, & honorem, qui fecit mirabilia magna ſolus.

NOn dubitamùs, ait Pontifex, quin ad conſequendã hanc glorioſam contra Turcas victoriã, deuotio tua verbo ac opere magnum adiumentum præſtiterit; ſic enim ex relatione multorum, & in primis legatorum noſtrorum, quos illic habemus, ſępè intelleximus. Quare cum Deo Omnipotẽti largitori tanti muneris ſempiternas gratias habeamus tuum quoque in hoc feruens ſtudium meritò commendamus, cuius opera, & animi fidelium ad reſiſtendum ſunt confirmati, & cætera facta ſunt, quæ priuatim, & publicè maximè profuerunt. Habebis horum benefactorum tuorum verum remuneratorem Deum, cui hæc fiunt, noſque tanti operis nunquam erimus immemores. Hortamur autem deuotionem tuam, & ex corde requirimus, vt conſtanter in incæpto perſeueres, & nunc maximè ad communem ſalutẽ ſuſcites ſpiritum tuum, cum Redemptor noſter miſertus populi ſui præbuit ſe Ducem victorię, datque ampliſſimam

facultatem renouandi in his partibus nominis ſui ſancti, vnde illud barbarorum impietas ſuſtulerat; Nec ceſſes dies ac noctes aſſiſtere dilecto filio noſtro Ioanni S. Angeli Diacono Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato, ac ſancta opera eius zelo tuo iuuare, hortari gratia Chriſti tibi cælitus data Prælatos, Barones, Nobiles, ac totius Regni Hungariæ populos vt ſequantur Crucem Ieſu Chriſti, &c.

Sed cum iſtæ de prima illa nauali victoria tantũ intelligi debeant, accepto deinde Nuncio vltimæ victoriæ, Turcarumque fugę, alias ad Capiſtranum literas dedit, quibus exemplar epiſtolæ gratulatoriæ, & ad proſequendam victoriam exhortatoriæ, quam ad plures Reges, & principes miſit, incluſit: ſic autem ſcribit Calixtus Pontifex Capiſtrano.

Iam clauſis literis ad gloriam Dei, & conſolationem tui, deliberauimus tibi mittere copias hic incluſas literarum noſtrarum per orbem Chriſtianorum à nobis miſſarum, & inter alias cariſſimo in Chriſto filio noſtro Francorum Regi Carolo, Illuſtri & Domino Venetorum, & fere ſimilium Ianuen. Regi Aragonum, & alijs Regibus, & Dominis Chriſticolis, vt nobis aſſiſtant, nobiſcum concurrant ad liberandam Europam, Aſiam, & Terram Sanctam, & ad totalem exterminationem perfidi nominis Mahometi, ad quod Te inuictum Dei pręconem, & iam in vita ferè martyrem in Domino exhortamur. Vt ipſos proſequaris, intrepidè victoriam, & proſequi cures, ſicque de facili recuperabitur Conſtantinopolis, & ſupradicta optatum finem, Domino dante, fæliciter obtinebunt.

Pon-

Pontificis autem Epiſtolæ ad Principes datæ huiuſmodi ſequitur exemplar.

Chariſſimo in Chriſto filio Carolo Francorum Regi Illuſtri, &c.

AD gaudium, & lætitiam Serenitati tuæ nunciantes fœlix nouum, quod ex Hungaria nouiſsimè accepimus, & quo ex longa & incredibili mæſtitia, & dolore releuatus, & recreatus eſt animus noſter, mittimus eidem Serenitati præſentibus incluſas copias literarum, quæ ad nos inde miſſæ ſunt. Ex quibus glorioſam victoriam, quam Omnipotens Deus populo ſuo contra crudeliſsimum Turcum nauali, terreſtrique pugna conceſsit, & profligationem, fœdamque fugam Barbarorum intelligere poterit celſitudo tua, quam hortamur vt pro tam læto, & glorioſo Nuncio, immortali Deo, cuius cæleſti potentia in tanto Chriſtianitatis diſcrimine immaniſsimorum hoſtium vires contusæ, & attritæ ſunt, debitos honores, & gratias referas, & per vniuerſum Regnum tuum proceſsiones & orationes fieri facias, quibus, ſua in nos ineffabili pietate moueri ex hoc facto maximè intelligi poteſt: Nam ſi quis pericula, quæ Orbi Chriſtiano imminebant, conſiderare velit, innumerabilem exercitum hoſtium animo contemplari, ſi denique ipſius Turcæ feritatem, obſtinatumque propoſitum ſubiugandæ Chriſtianitatis animaduertat, fatebitur profectò immortalem Deum precibus noſtris, & aliorum Chriſti fidelium inclinatum, tantamque hanc victoriam po-

pulo ſuo conceſſiſſe. Nos enim rati humanas vires non poſſe ſine diuino auxilio molem tanti furoris ſuſtinere, Bullas noſtras orationum die feſtiuitatis Beatiſſimorum Petri, & Pauli in ipſa Principis Apoſtolorum Baſilica publicari fecimus, & cum deuotione proceſſiones diebus ſtatutis, & horis tàm hic in Vrbe, quàm in terris noſtris, & Sedis Apoſtolicę fieri fecimus, bullaſque ipſas per vniuerſum Orbem Chriſtianum exequendas, & publicandas miſimus etiam ad Legatum noſtrum ad te miſſum hortantes Chriſti fideles, vt in tanto periculo diuinum ſubſidium implorarent. Quibus deuotiſsimis orationibus, & alijs per Chriſti fideles factis credendum eſt, Deum, quem alias propter grauia peccata populi ſui, iratum ſenſimus, paratum, vt quandocumque mortalia conſilia, & vires deficiebant, hoſtes ſua potentia debellaret, prout noſtri miſeratus glorioſè debellauit, nam feria ſexta ante feſtum D. Iacobi fœliciſsima pugna ab Hungaris contra Turcas commiſſa, & victoria obtenta eſt. Quapropter merita, laudes, & honores tanto creatori reddendi ſunt, qui tantum periculum à populo ſuo auertit, & tenebras, quibus fides Orthodoxa obſcuranda videbatur, ſubita ſerenitate diſcuſſit. Itaque ſerenitatem tuam hortamur, vt Diuinæ Maieſtati gratias agas, prout nos in Vrbe fecimus, & vt vbique fiat, mandauimus; teque nihilominus, & potentiam tuam excites, & nobiſcum conuenias, qui ad totalem Mahometicæ gentis eradicationem anhelamus, nuncque maximè tempus eſt proſequi victoriam cœlitùs nobis promiſſam, vt Chriſti fideles, collectis viribus Turcarum Regna aggrediantur, quæ, quoniam

maxi-

Digitized by Google

maximè Dux eorum debellatus confuſuſque eſt, & incer.
tus quid agat, turpem ſe in fugam conuertit, facillimè ob-
tinebuntur. Claſsis verò modò in Orientem nauigauit, ad
quam fortificandam, & augendam toto poſſe intendimus,
& quidquid habemus, exponimus. Et quia in tanta
victoria proſequenda ad finale exterminium non ſolùm
Turcarum, ſed totius ſectę damnatæ perfidi Mahomethi
nè tanta nobis gratia cælitùs data in neglectum quoquo mo.
do trahatur, ac inde magis, ac magis in iſta ſancta Ampri.
ſia die noctuque indefeſſè intendimus: in cuius proſequu-
tionem non modicæ pecuniæ ſunt nobis neceſſariæ. Idcirco
Serenitatem tuam hortamur, & in Domino, quanta poſ-
ſumus inſtantia, requirimus, vt non ſolùm ad colligendam
decimam, ſed ad oblationes, & alia ſubſidia ex Cruciata,
quę in Regno tuo, vt pluries Tuæ Serenitati, & Ven.
Fratri noſtro Petro Cardinali Auenionenſi Legato noſtro
ſcripſimus publicanda, fauores, vt decet, præſtes opportu-
nos; ita vt ad recuperationem Conſtantinopolis, totalemque
exterminationem infidelium, & liberationem totius Euro-
pę concurramus; & non minus ad recuperationem Terræ
Sanctę, & totius Aſię, & alias partes infidelium Catho.
licam reducendi, & conuertendi, vel ab ipſis infideles peni-
tùs exterminandi attendere valeamus, prout firmiter cre-
dimus, & tenemus ex ſyncera fide Catholica cordi noſtro
affixa, vt plures à nobis audierunt, quod perfidus ille Tur.
ca ſuccumberet, et Hungari victores remanerent, et popu-
lus Chriſtianus, et nos cum ipſis: nec vnquam dubitaui-
mus, quod fieret, ſicut nunc accidit, et maiora fient. Ait
autem

Digitized by Google

autem Chriſtus Saluator noſter: Si quis fidem habet, vt granum Sinapis, & diceret monti, tranſer te ad alium locum, transferetur, & nihil impoſſibile erit illi. Matth. 17. v. 19. *Et quis tam durus? qui nos in tam firmo propoſito, et ſecuritate victoriæ noſtro tempore cœlitùs conceſſa non ſequatur? Væ ah! væ aliter ſentientibus et caueant ab ira Dei, nam qui in hoc turbabit nos, portabit iudicium, quicumque ſit ille. Tuam igitur Serenitatem iterum hortamur, et intimo cordis affectu requirimus, vt tempus hoc, quo Deus Summus Serenitati Tuæ opportunitatem offert, vt nomen tuum immortalitati conſecrare poſsis, non deſeras, et dum perfidus Turca incertus, quid ageret, fugatus, et profligatus eſt, eum aggrediamur, ſequamur Chriſtum Ducem, qui vt ſæpiùs diximus præclariſſimam victoriam, et tryumphum tempori noſtro diuinitùs reſeruauit. Non deſint modo Chriſtiani Potentatus, et nobiſcum, qui ſanguinem, et vitam noſtram in hac diuina cauſa deuouimus, vires eorum adiungant, et Crucis viuificæ vexillum non deſerant, quouſque victoriam quæ quidem in manibus eſt fœliciter, et ad exaltationem Sacroſanctæ fidei Orthodoxæ conſumemus. Datum, etc. 4. Idus Auguſti* Pontificatus *noſtri anno 2.*

Deinde Calixtus ipſe Pontifex in perpetuã tantæ victoriæ memoriam, & vt Deo eius largitori gratiæ ſingulis annis deinceps redderentur, ſolemniſſimum inſtituit officium transfigurationis Domini ſexto die Auguſti, quo die

die ipſe Romæ fœliciſſimæ victoriæ nuncium accepit, ac magnæ deinde ſolemnitates, publicæque gratiarum actiones Calixti Pontificis hortatibus, & maximo Principum, populorumque plauſu, & lætitia vbique celebratæ fuerunt, magnaque ſpes erat omnibus, Turcarum vires per potentem manum Dei breui cõterendas fore.

Martyrio igitur Capiſtrano denegato, ac iudicans Altiſſimus ob maxima eius merita illi præmium elargiri, æternam parauit ei quietem, & tranquillitatem, dùm paucis tranſactis diebus poſt tot, graueſque labores, curas, vigilias, penurias, aliaque incommoda in cauſa fidei contra Turcas perpeſſa, è quorum rapaciſſimis manibus fuit à Deo mirabiliter ereptus, & liberatus, cœpit acriter febribus, nec non acerbiſſimo ſanguinis fluxu, deficientibus etiam naturaliter viribus, decrepitus laborare quam ægrotationem, licet laborioſiſſimam, libentiſſimè, ac patientiſſimè ſufferebat animo, dùm ſemper Deũ deuotiſſimè laudabat, illud ſæpè ſæpius repetens propheticum; *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar: multum incola*

fuit

fuit anima mea, miſerere mei Deus. Pſal. 119. v. 5. A quo in feſto Natiuitatis Sanctiſſimæ Virginis Mariæ diuina doctus reuelatione, quòd ex illo morbo certò moreretur, Villacum ſe contulit à Nicolao Vvayuoda loci Domino, & iam tum defuncti Hunyadis in militię ductu ſucceſſore inuitatus, ſui corporis exuuias ſaltem ibi relicturus, & ad conuentum Minorum omni maiori deuotione totiuſq; ciuitatis gaudio delatus eſt, vbi Rex Ladiſlaus, Cardinalis Caruaiallus, & idē Nicolaus Vvayuoda Villiaci Patronus maximo Procerum, & Prælatorum commeatu illum aduenere viſitaturi; præfatus maximè Vvayuoda, qui ad caſtra redire debebat, vt omnia ægroto in eius abſentia ſubminiſtrarentur neceſſaria, relicto ſuo mandauit Villaci Gubernatori, eumque tanquam propriam perſonam ardenter commendauit, præſertim verò caſu, quo moreretur, nè aliò pretioſiſſimum eius transferretur corpus, accuratiſſimè inuigilaret, nec vllis pro eius recuperanda ſalute parceret expenſis; Quæ omnia licet grato animo reciperet Capiſtranus, idem tamen ſemper repetendo dicebat, *facite quid quid placet, obediam vobis pro poſſe, hæc verò*

Digitized by Google

eſt mea vltima infirmitas; & ex hac me moriturum procul dubio ſcitote: quemadmodum debitas reddens ſingulis gratias, eiſque fidei ſummopere commendans propugnationem, tali zelo, tantoque loquebatur feruore, vt ijdem Rex, Cardinalis, & alij frequentibus abundantes lacrymis, ſimilem intuentes futuram, ac breuem perditionem, ab illo diſcedere, benedictione priùs petita, cogerentur: Tantus erat zelus, quo ad fidei defenſionem loquebatur, tantaque viuendi erat auſteritas, qua etiam ſeptuagenarius, ac morbo grauiſſimo laborans, proprium corpus exercebat, vt quamuis morbo, & ætate grauatus, nunquam à ſolitis pœnitentijs, ieiunijs, orationibus, cæteriſque pijs operibus, nec non à quotidiana ſacri myſterij deſtiterit celebratione, donec in extremo nequiuerit ampliùs è lecto proſilire, quo tempore, quò debilior corpore, eò feruentior ſpiritu ad pia quæque opera exercenda videbatur; nam fratribus ad matutinum ſurgentibus, Capiſtranus, vocato comite, illud more ſolito, maxima cum deuotione, & applicatione recitabat, illoque completo, ſeptem Pſalmos pœnitentiales percantabat, nec reli-

quas diuini officij partes, cæteraſque pias, ac deuotas preces, ſtatutis horis vſque ad extremũ vitæ ſuæ perſoluere deſinit, dùm præ debilitate Miſſam celebrare non valens, ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum pari deuotione, & reuerentia quotidiè ſumpturus, ab alijs confratrum manibus ſuſtentatus ad templum procedebat, deuotè, reuerenterque repetens, *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum*, aliaque continuò replicans ſimilia, non ſine abundantiſſima lachrymarum copia, humillimus ſuam dicens culpam, genuflexus peccatorem ſe maximum accuſabat, ac veniam deuotiſſimè petens, cæteriſque aſtantibus Religioſis, vt pro ſe orarent, ſupplicans, in lachrymas amariſſimè reſolutus, crucem deoſculans, pectus tundens, humi reueritus, Deum, vt tanto dignus efficeretur ſacramento, inſtantiſſimè obſecrans, illud ſuſcipiebat, quod demirabantur cuncti, tantam conſpicientes humilitatem.

Vt verò admirabilem continuò geſſiſſet vitam, ſic ſæpè cum Apoſtolo oculis ad cœlum eleuatis dicebat, *cupio diſſolui, & eſſe cum Christo, ſi vero* (deinde ſubiungens) *Domi-*

ne

ne adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat igitur voluntas tua; ac iterum futuros deflens euentus, *parce* (dicebat) *Domine, parce populo tuo, & nè des hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes, miserere noſtri Domine, miserere noſtri, miſerere Chriſtiano populo tuo Domine Deus benignus & miſericors, non ſecundum peccata noſtra facias nobis Domine, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis*, hiſque, alijſque diuinis laudibus vacans, diuinam pro peccatoribus imploraturus miſericordiam; perfectiſſimam ægrotis etiam abſentibus impetrabat ſanitatem: hoc fratre Ambroſio ab Aquila eius prius ſocio teſtante, qui in quodam loco, Achia vocato, quinque milliaribus Villaco diſtante agonizans, orante pro illo Capiſtrano, eodem ſanctiſſimæ orationis puncto, ſeu momento, ſanus mirabiliter effectus eſt: beatiſſimus ſiquidem vir! dum ſolo tactu, & ſanctiſſimo ſigno crucis præſentes, & orationibus abſentes à quolibet graui morbo liberabat.

Tranſactis verò ſeptuaginta octo diebus, per quos patientiſſimè, Deum ſemper laudans, &

magnificans, moleſtiſſimum ſuſtulit morbum; viribus penitùs ex febribus, & fluxu deficientibus, cùm omni tamen ſenſuum exiſtens viuacitate, mira mentis iucunditate, parique intellectus acumine, quanquam corpore exhauſtus, ac diminutus, Lytanias cum alijs canens, Virginem Sanctiſſimam, cæteroſque ſanctos inuocabat; ac demùm fratribus aſtantibus, quibus Religionis obſeruantiam omni maiori animi affectu commendauit, ſancto vnctus oleo, cæteriſque ſacramentis optimè munitus, ac Pontificis per Cardinalem Legatum accepta benedictione, humi ſimpliciter cubans, ac ſedere volens aliquantulum, fratrem Hieronymum Vtinenſem, vt ſibi auxilium præberet aduocauit, ad cuius pectus ſanctiſſimum inclinans caput, pręmiſſo lachrymarum profluuio ſæpè repetens dictum, *cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto, Sancta Maria ora pro me, omnes ſancti et ſanctæ Dei intercedite pro me*, iunctis manibus, & oculis ad cœlum eleuatis, deuotiſſimum die Sabbathi vigeſima tertia Octobris hora vigeſima prima anno 1456. ſuum reddidit ſpiritum creatori; cuius tranſitus vbique peruulgata fama, oppi-
dis-

dis, locis, ac ciuitatibus quibuſcumque commotis, tantus Villacum aduolauit populus, Beati inuiſurus corpus, nec non ab illo gratias imploraturus, vt, maximo confecto tumultu, ne aliqua naſceretur inconuenientia, omnes Conuentus Ianuæ etiam cum vigilibus clauſę fuerint: ſed hoc nil iuuit, vt maxima illius populi cohiberetur preſſura; dùm omnia diruentes, portas frangentes muros, tectaque aſcendentes, omni impetu in locum irruere tentabant, vt aliquid eius veſtimentorum ob deuotionem ſubtrahere valerent, prout aliqui tunicam, alij cordam, cæteri manutergia ſubtrahebant, mœſtiſſimi omnes, & in luctum conuerſi dicentes, *O ſolem obſcuratum! de cœlo eccleſiæ ſtella magna cecidit, columna, & corona concidere, iam infideles, & hæretici lætantur* cum alijs his ſimilibus, ac pijs conclamationibus, ita vt fratres, ex multitudine, ac deuotione, ſacri corporis lacerationem metuentes, per occultam viam, vt meliùs poſſent, ſolemni, prout ſtatutum fuerat ea de cauſa per ciuitatem prætermiſſa proceſſione, illud ad Eccleſiam delatum, in cuſtodiam ſexaginta quatuor ciuium nobiliorum in altum, nè penitus

nitùs violaretur, plurimis ardentibus faculis, & luminibus, eleuatum præbuere, ac deinceps per totum octiduum, donec ſacrum viſitaturus corpus peruenerit Vuayuoda, cunctis continuò loci pulſatis campanis, ſolemniſſimæ celebrabantur exequiæ: quò Clerus cum Canonicis, Magiſtratus cum nobilibus, ac confraternitates cum continuo diuerſorum populorum concurſu maxima cum deuotione conuenientes, orationes, & laudes ei ſolemni pompa, alta, vnanimique voce emittebant dicentes B. Ioannes à Capiſtrano ora pro nobis; ac pretioſiſſimum theſaurum tangere, deoſcularique curantes, gratias ſinguli expetitas mirabiliter recepere; ita vt cæcis videntibus, mutis loquentibus, claudis ambulantibus, cæteriſque varios morbos patientibus, liberatis, ac mortuis ad nouam vitam reuocatis, tanta extranea confluit populi multitudo, vt præ nimia ac vehementi omnium deuotione, nè ſacrum pignus violaretur, pulcherrima arca lignea ferreis circulis, ſeptemque ſeris, clauibuſque munita, incluſum, & in inſigni eiuſdem templi Villacenſis fratrum Minorum Regularis Obſeruãtiæ ſacello ſepultum fuerit. Vbi creſcente

ſem-

Digitized by Google

ſemper populorum deuotione, & continuatis miraculis per multos annos ſeruabatur, donec, Turcis Villacum occupantibus, in Tranſyluaniam translatum fuit.

Intereà verò audito eius fœlici tranſitu ex hac vita, plurimæ Hungariæ: Germaniæ, Poloniæ, & Italiæ ciuitates triduanas, & ſolemniſſimas exequias, partim peculiari ſua erga ipſum deuotione, partim etiam iuſſu Pontificis, & Regum, ac Principum illarum partium omni maiori deuotione, ritu, ac ſolemnitate ad Dei, eiuſque militis gloriam celebrarunt.

In cunctis virtutibus ſummoperè excelluit Capiſtranus, præſertim in fide cœterarum fundamento; cum ſtrenuus, ac inuictus pro fide Catholica nunquam verbis, literis, & operibus, miro fructu laborare ceſſauerit: nam Commiſſarius Apoſtolicus, & Generalis Inquiſitor contra quaſcumque hæreſes pluries per Summos Pontifices conſtitutus, Italiam à peſtifera fraticellorum ſecta abſque vllo timore liberauit, Auſtriam, & Italiam ab vſuris, & enormiſſimis Iudęorum delictis expurgauit, illorumque inſolentias per brachium ſæcu-

ſæculare, iuxta Inquiſitoris partes, caſtigandas optimè curauit, Morauiam, Moldauiam, Styriam, Carinthiam, & Bohemiam perniciosiſſima Huſſitarum, Adamitorum, aliorumque Hæreticorum labe, laborioſiſſimè liberas reddidit, illaſque ad fidem reduxit, & veritatem: Turcas fortiſſimos rupit, vicit, atque acerrimè ſanctiſſima nominis Ieſu inuocatione mirabiliter debellauit, falſas, ac hæreticas Rochezani doctrinas pluries reiecit, illumque ad diſputationem, vt faciliùs ad fidem eum trahere valeret, prouocauit: Philoſophiæ, Sacræ Theologiæ, ac ſacrorum canonũ ſtudia non ſine validiſſimis, ſed vanis fratrum oppoſitionibus in cũctis ſuę Religionis Prouincijs laudabiliter inſtituit, quadraginta, & plures tractatus per ſuos titulos infra referendos ad tuẽdam, & propagandam fidem, nec non pœnitentiam peccatoribus inculcandam doctiſſimè conſcripſit, illamque in ſuis cunctis concionibus ſummo eius progreſſu feruentiſſimè vbique prædicauit, & auxit.

Heroicam pariter habuit virtutem ſpei; cùm continuò, ac firmiter æternam ſperauerit beatitudinem, ob quam conſequendam

ſtri-

Digitized by Google

ſtrictiſſimam ingreſſus Religionem, quæ in ſola ſpe diuinæ prouidentiæ innititur, mundum reliquit, nec vnquam, etiam itinerans pro ſequenti die prouidebat, honores ſpreuit, dignitates fugit, blanditias deſpexit, ac toto vitæ ſuæ curſu laboribus, ieiunijs, flagellis, varijſque alijs mortificationibus corpus ſuum, vt faciliùs prę mium adipiſceretur ſempiternum, domare ſtuduit; nulla vnquàm nocte ad matutinas preces ſurgere prætermiſit, nec vnquã equitare volens, ſiue per niues, ſiue per glacies, nudis pedibus abſque calceamentis, ſeu callepodijs continuò inceſſit.

Immenſa charitate ergaDeum ſemper exarſit, cum nihil vnquam præter illius gloriam, cultumque quæſiuerit, & venerationem, nec aliud, quàm pro illo pati deſiderauerit; nam Religioſus effectus omnia contemnens mundana, ac ſummoperè paupertatem amplectẽs, flagellis, ieiunijs, cilicijs, crebiſque diſciplinis, frequenti Pſalmorum pœnitentialium recitatione, ac diuiniſſimam Chriſti contemplãs paſſionem, amariſſimè pro offenſis Deo irrogatis ſe cruciabat; ſanctiſſimum nomen Ieſu acerrimè propugnans, ſummè illud venera-

tus fuit, illi uſque magnificentiam continuò prædicauit, intimoque cordis affectu proſecutus, omnium viuentium animos, ſignis, & miraculis, eo intercedente, cooperantibus, in eius veneratione m ſtuduit conciliare. Erga ſacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum vehemẽter ardeſcens, illud omni humilitate, ac deuotione colebat, nec vllam occaſionem prætermiſit inſeruiendi illi, eiuſque cultum vbique augendi; Beatiſſimæ ſemper Virginis Immaculatæ Mariæ laudes perpetuò celebrauit, eiuſque deuotionem omni conatu in corda fidelium infundere curauit, ac ſuper eius immaculata Conceptione, paſſione Chriſti, eiuſque ſanguine, & paupertate, varios tractatus, inter cæteros, doctiſſimè conſcripſit, gloriam Dei, eiuſque Matris Mariæ, ac omnium Sanctorum ardẽtiſſimè quotidie infallibiliter prædicabat, peccatorum conuerſionem ſummoperè curabat, frigida hominum corda ignitis, verbis ad diuinum amorem feruentiſſimè inflammabat, duraque emolliebat; ita vt iniuriæ multiplices inuicem fuerint remiſſæ, odia ſublata, peccatorum incentiua igne ſpiritus abſumpta, res ablatæ reſtitutæ, fuci aliæque

mu-

Digitized by Google

mulierum vanitates ab ipſis dimiſſæ, pœnitentia à prauis acta, bona opera à bonis confirmata, ac demum, cuncta, quæ geſſit, in Deum geſſit, & operatus fuit; ob cuius amorem Martyres æmulans, Martyrium cupiens, pro vt multoties apud Turcas, Hebræos, & hæreticos demonſtrauit, diuinæ eius voluntati redditus conformis, de omni, quod placeret, gaudebat, ac de eo, quod illi diſpliceret, triſtabatur.

Proximos ſuos Chriſti fideles omnes ardentiſſimè dilexit, cùm eos tàm ſpiritualiter, quàm temporaliter auxilijs iuuare curauis, nulli vnquàm pro illorum ſalute pepercerit labori, tota enim nocte vigilans, in pœnam peccatorum cunctorum ſe amariſſimè verberabat, Deum inſtantiſſimè deprecans, vt eis condonare, eorumque miſereri dignaretur, efficaciſſimas, laborioſiſſimaſque habuit conciones, vt, aliquo producto fructu, facilius auditorum cordibus emollitis, odium, cæteraque relinquentes vitia, viā ipſi ſalutis ęternę amplecterentur, nec vlla habita ratione laboris, temporis, diei, loci, ſuæque aduerſæ valetudinis, vbicumque afferebatur occaſio, etiam ſi ali-

qua detineretur infirmitate, euangelicum Dei verbum poſtulantibus annunciabat ; rudibus viris, ac pueris Apoſtolorum ſymbolum explicabat, cæteroſque ſuper illo patientiſſimè interrogabat, ac temporalibus valens adiumentis, nunquam deſtitit, quantum ſuæ vires patiebantur, adiuuare; nam ante Religionis ingreſſum, totum ſuum locupletiſſimum patrimonium diſtribuit pauperibus, Religioſus effectus, poſt ſuum completum officium apud infirmos inſeruiens, illis aſſiduè permanebat, auxiliumque præſtabat: captiuos in carcere detentos ſæpè ſæpiùs viſitabat, illoſque ad patientiam hortans conſolari curabat, innocuos, ac præter iuſtitiam malè tractatos audiens, pro illorum liberatione libentiſſimè, & ſpontè Principibus, quibus omnibus cariſſimus erat, ſupplicabat, pauperum, egenorumque miſertus continuò pro illis diligentiſſimè operabatur, nec eiſdem, pro vt poſſet, ſuccurrere omittens, ne dum victum, & veſtitum ab alijs exorabat; verùm etiam ad erigenda, conſtruendaque pro ipſis domicilia, maximo fuit incitamento; Dum in ciuitate Aquilana inſigne ac opulentiſſimum conſtrui curauit cœnobiũ:

Hoſpi-

Digitized by Google

Hoſpitale, quod Veronæ celebratiſſimum eſt, vt èxtrueretur effecit: Viduarum, Orphanorum, Pupillorumque oppreſſionibus ſe ſemper oppoſuit, pro omnibus orationes, lachrymas, & ſuſpiria fundebat, diſciplinas, aliaque opera pia pro peccatorum remiſſione, ac eorumdem conuerſione Deo offerebat, nec non in omnibus charitatis, miſericordiæque operibus pro illis ſe frequentiſſimè exercebat.

In conſilijs dandis, negocijſque tam ſpiritualibus, quam temporalibus gerendis ſumma fuit prudentia præditus, dum adhuc Iuuenis ad plures, graueſque præfecturas per Ladislaũ Siciliæ, Neapoliſque temporibus illis Regem aſſumptus, ordine tàm miro ſe geſſit, vt in recognitionem tanti valoris, & prudentiæ, præter munera, cæteraſque demonſtrationes ab eodem Rege erga ipſum actas, fuerit etiam ab eo nonnullarum Ciuitatum eiuſdem Regni Siciliæ Præſes, ac Iudex Vicariæ, ſeu magnæ curiæ Neapolis declaratus. Eo facto Religioſo, ad eius conſilia petenda ex omni hominum genere confluebant, eiſque tàm Regibus, cæteriſque Principibus, quàm priuatis qui obtemperabant, omnia fœliciter eue-

nie.

Digitized by Google

niebant: ob eamdem pariter pluries Reformator, variarumque partium Commiſſarius, & Viſitator, nec non Vicarius Generalis Ciſmontanus, & Vltramontanus ſuæ Religionis electus, nunquam potuit ſe ab his muneribus liberare, Reatinos, & Cantalicienſes iuſſu Martini V. conciliauit, Auſani, & Ortonæ Oppidanos pacificauit, Tridentum ab Epiſcopo inſtantiſſimè aduocatus, tumultus ibi, ac ſubleuationes ſedauit, eiuſdem Summi Pontificis ordine Picenum à peſſima fraticellorum ſecta pluries expurgauit, à Ioanna Secunda Neapolis Regina, vt illud Regnum ab vſuris, & Hebræorum perfidijs liberaret, fuit accerſitus, Martinianas conſtitutioues, vt faciliùs eius Religio regeretur optimè conſcripſit, illaſque ſuo tempore propugnauit. Monaſterij S. Guillelmi Ferrariæ Clariſſarum Reformator, nec non cauſæ Ieſuatorum Iudex per Eugenium IV. deputatus, pro illo apud Regem Siciliæ Nuncij Apoſtolici onus exercuit, Ferrarienſi, & Florentino interfuit concilio: Inquiſitor Generalis pluries per Summos Pontifices fuit confirmatus, fuit quoque ab Eugenio Papa Legatus ad Duces Burgundiæ, &

Me-

Mediolani deſtinatus, nè Schiſmati Amadæi de Sabaudia Antipapæ adhęrere vellent; eoſque illi non ſine pluribus propriæ vitæ periculis conciliauit, cùm ex aduerſo ſectarij inſidias ei ſtruxerint, ac venenum bis propinare curauerint, in Galliam tempore Schiſmatis Baſileenſis à dicto ſummo Pontifice Nuncius Apoſtolicus miſſus fuit, apud Alphonſum magnum Aragonum Regem altiſſimas Eccleſiæ cauſas, idem exercens officium, & ab eodem Pontifice deſtinatus, pertractauit: anno autem 1445. Vicarius Generalis ſui ordinis, & Nuncius Apoſtolicus per totam Italiam fuit per Summum Pontificem declaratus, vt faciliùs ad ſacrum bellum, & auxilium ferendum Europæ contra Turcas Principes, & populos conuocaret, ac demùm talis fuit eius prudentia, vt in quolibet grauiori caſu Capiſtranus Eccleſiam Sanctam, ſedemque Apoſtolicam, ſummorum Pontificum iuſſu laudabiliter ſemper propugnauerit.

Virtute itidem iuſtitiæ fuit ornatus, cultum namque, & venerationem Deo, maxima cordis humilitate ſemper præſtitit, Præceptoribus, & Superioribus, à quibus continuò depende-

Digitized by Google

pendere fuit contentiſſimus, obſequium, ac obedientiam exhibuit, pretioſiſſimum caſtitatis lilium illibatum ſemper ſeruauit, ac virgo vſque ad mortem permanſit, benefactoribus gratitudinem demonſtrauit, ac parentibus reuerentiam intulit, innocentes protegens, delinquentes puniebat, ac merita recognoſcebat, nec quempiam, licet maximæ authoritatis, pro iuſtitia & veritate vnquam timuit, prout latiſſimè ſignum dedit Peruſiæ, Religioſus effectus regulas ſuæ Religionis diligentiſſimè obſeruauit, illaſque ſuperior electus ab alijs pariter ſeruari curauit, Obſeruantes ac in via virtutis proficientes, laudibus, hortationibus, & honoribus, ad perfectionem allexit, inobſeruantes, & pigros dignis mortificationibus coercuit, Inquiſitor, & Commiſſarius Generalis per Summos Pontifices declaratus, rectiſſimè officium ſemper exercuit, dùm cunctas illas partes, in quibus plures, ac perniciosiſſimæ augebantur hæreſes, excurrens, ac Euangelicam ſeminans doctrinam, ad eius obſeruantiam omnes hortabatur; illam amplectentes recipiebat, cęteriſque duris, ac obſtinatis nunquam prædicare deſinens, illos lau-

dabili-

Digitized by Google

dabiliter hæreſes abiurare faciebat, illorumque inſolentias, & delicta ipſo cognoſcēte, brachio traditi ſęculari, digno puniebātur ſuplicio.

Singulari temperantiæ etiam virtute in omnibus vſus fuit, maximè in ciborum vſu, in quibus tanta eius erat abſtinentia, vt ſuperiores eius imbecillitatem indè metuentes, aſtrinxerint eum, vt vna vice ſaltem comederet in die, & paruit illis; tanta tamen victus parcitate, vt omnes ſummoperè admirarentur, quod tàm pauco cibo ſuſtentari poſſet, tàm ob perpetuos labores, quàm ob vigilias, ieiunia, & continuam abſtinentiam, dùm triginta ſex annorum ſpacio carnem comedere nolens, niſi quibuſdam menſibus ſenex, & ægrotans Eugenij Papæ mandato coactus, panem reliquo, & aquam tantum comedebat; licet aliquando, ſed raro, vinum biberet lymphatum, quod ab alijs deguſtatum, aqua potiùs, quàm vinum cenſebatur; pauperrimam perferebat veſtem, ieiunia nedum Religionis, & Eccleſiæ, ſed alia peculiaria, ſeu continua, etiam itinerans ſeruauit, atque pluries parua admodū libatione contentus, ſerò laſſum reficiebat corpus, nec ampliùs quàm vna, vel duabus ad Summum

 ho-

horis ſuper humo frigida vſque ad extremum vitæ ſuæ, etiam acris febribus tortus; omnium cum ſtupore, & admiratione ob temperantiam in omnibus non ordinariam, dormire conſueuit.

Nec virtute caruit fortitudinis, immò in illa ſummoperè excelluit; conſtans enim, & imperterritus in ſuis operibus pijs contra quoſcumque aduerſantes extitit, Hebræorum vſuras, & inſolentias, fraticellorum iniquitates, cœterorumque hæreticorum perfidias omni conatu, totiſque viribus inſectatus eſt, nil mortis periculum metuens, quod ei, ſed fruſtra, inſidijs, & veneno pluries, varijſque locis, & modis offerre curarunt, à quibus, Deo aſſiſtẽte, pro quo acriter pugnabat, mirabiliter ſemper fuit liberatus, Diuum Bernardinum de Senis doloſè apud Summum Pontificem accuſatum acerrimè propugnauit, in Seraphica Religione tàm Philoſophiæ, quàm Theologiæ, ſacrorumque canonum lecturas, omnium ferè fratrum oppoſitionibus non obſtantibus, inſtituit, illaſque Eugenius comprobauit, vbique conciones habens intrepidus ſemper contra vitia, & peccatorum enormitates, donec co-

pio-

pioſiſſimos retuliſſet fructus exclamauit, nec quempiam pro Deo ſuo vnquàm timuit; dum ſemel ſecretè Fridericum alloquens Imperatorem, modeſtè, ſed liberè, & fructuosè reprehendit eum. Turcas fortiſſimos, quos omnes ob numeroſiſſimum exercitum centum octuaginta millium pertimeſcebant, inuictus debellauit, rupit ac cæde octuaginta millium cum paucis ac ferè inermibus crucesignatis penitùs diſtruxit, & cum victoria diuinitùs remeauit, ac Dœmoni ſemper fortiter reſtitit, illumque pariter imperterritus vicit.

Paupertatis fuit amantiſſimus, illamque pariter in gradu habuit eminenti, cùm omnia mundana locupletiſſima tàm paterna, quàm aduentitia, & quaſi caſtrenſia relinquens, Religionem Minorum, in qua exactiſſimè colitur, ingreſſus fuit, & illam præſertim oſtendit in cibo, lectulo, & veſtitu, cum ſemper rude, ac reſarcita induerit veſte, humi ſuper nuda tabula abſque aliquo ſtramento cubuerit, nec alio quàm pane, & aqua, vt pluries, cibatus fuerit, iter etiàm ſi longiſſimum, ac difficillimum habens, nunquam, ſeu raro, & coactè præcurſores menſam parare permiſit, ſed ſua contentus

paupertate, victum mendicando queritabat: nam, etiamſi Nuncij, aut Legati Apoſtolici, nec non Commiſſarij, Generaliſque Inquiſitoris onus exerceret, etſi à Regibus, cæteriſq; Principibus ſeruitutes, habitationes, conuiuiaque in Regijs Palatijs, vt honorificentiùs ſuſciperetur, parata fuerint, hic maximas continuò reddens gratias, communem ſuæ Religionis domum, completo ſermone reuertebatur, nec vnquam in comitatu Tertiarium, nec alium, qui pecunias expenderet, admiſit, nec abſque inſignibus maximiſque miraculis latè ſupra relatis Padum, & Firianum traijcere volens, hoc demonſtrauit.

In humilitate maximè etiam excelluit, cum vilia exercens munia, Prælaturas fugiens, dignitates abhorruerit, illáſque ſemper reiecerit, omniumque ſemper minimus cupiens haberi, talem continuò ſe reputauerit; coquinæ vtenſilia, pannoſque ſordidos lauans, cætera cœnobij officia, quotieſcumque poterat, peragèbat, maximum ſe peccatorem eſſe declarans, nec vnquam de ſuis heroicis operibus, miraculoſiſque actionibus laudans, victoriam contra Turcas mirabiliter ob

eius

eius preces, & merita obtentam, Deo præſtitit tantum, eique, & interceſſionibus Diui Bernardini Senenſis ſuorum cunctorum miraculorum gloriam ſemper tribuit, in cuius honorem, multis, vbi prædicabat, conſtructis Eccleſijs, & cappellis, in illarum circuitu omnia, infinitaque vota, & ſubſtentacula ab infirmis ſanatis dimiſſa poni curabat, & cum mirabilia magna, quæ Deus operari dignabatur, videret, lacrimans alta aiebat voce, *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*, *laudate Dominum omnes gentes, collaudate eum omnes populi*; ad Domum communem reuerſus ſe diſciplinis acriter verberabat; Epiſcopus pluries per Summos Pontifices declaratus, id reuerenter continuò recuſauit, nec vnquam etiam grauia, & honorabilia exercens munera, hac ſancta humilitatis virtute voluit expoliari.

Valde fuit orationi addictus, ac in illa toto vitæ ſuæ curſu ſollicitus, in ſæculo enim exiſtens, præter cæteras orationes, quas quotidianas Deo perſoluere conſueuit, Virginem ſanctiſſimam deuotiſſimè colebat, eiuſque officium maxima cum deuotione in die infallibiliter recitabat; Religionem ingreſſus, nulla vnquam nocte a d

ma-

matutinas preces ſurgere prætermiſit, Matutino, laudibus, vna cum Prima, & Tertia completis, diuina ſub aurora celebrabat ſacrificia: his peractis, & ſacris reuiſis ſcripturis, in chorum rediens, ſeptem Pſalmos pœnitentiales ſumma cum deuotione, & applicatione, alioſque ſacros hymnos perorabat, ac demùm habita ad populum concione, eadem, aut ſimilia deuotionis exercitia, in quibus totam diem cõſumabat, ſpontè, hileritateque plenus ſubibat.

Summa pariter ſcientia, & ſapientia fuit ornatus, ac optimè in omnibus ſe demonſtrauit, cum etiam Primarij, celeberrimique Doctores ad eius doctrinam recurſum facere ſolerent, talis, tantaque eius erat ſcientia, & perſpicacitas, adeo vt tam iura Pontificia, & ciuilia, quàm ſanctorum Patrum, cæterorumque Doctorum ſententias, Euangeliorum volumina, Apoſtoli epiſtolas, ſacras leges, ſacroſque canones optimè, ac facillimè omnia memoriter recitare valuiſſet, dùm præter conciones, quas cunctas copioſiſſimę ſanctorũ muniebat doctrinis, quadraginta quinque tractatus, quos doctiſſimè cõpoſuit, ſcripturas multas, quas acuratiſſimè conſcripſit, quamplures etiam diſputationes varijs

lo-

locis ob opinionum variationem ei paratæ fuere, in quibus aduocatus Capiſtranus victoriam ſemper reportauit, taliſque in ſuis cũctis actionibus apparuit, vt non humanitùs acquiſita, ſed diuinitùs infuſa ab omnibus fuerit iudicata.

Dono demùm Prophetiæ adeò fuit inſignitus, vt omnes futuri euentus eodem modo, quo præuideret, infallibiliter euenirent, ac in primis horribile Dei flagellum intactę eius ſponſæ prædicens, nec non mortem Martini V. præuidens, Eugenij IV. Pontificatum optimè præſciuit, illique adhuc Epiſcopo Senenſi denunciauit, eidemque pariter obitum ſuo tempore ſignificauit: Nicolai V. ad Apoſtolatus celſitudinem & exaltationem, ac Beati Bernardini ad ſublimem canonizationis gloriam vaticinans, eiuſdem Papæ obdormitionem Epiſcopo Papienſi Legato Apoſtolico in Noua Ciuitate apud Cæſarem prænunciauit; mortem Dei famuli iam ſupra narrati fratris Alberti Sartianēſis præcauens, eius animam ad Cœlum euolare mirabiliter vidit; Alphonſum Magnum Aragonum Regem præmonens, illumque bello cum Ianuenſibus habiturum diſſuadens, eius

capti-

Digitized by Google

captiuitatem vna cum totius militiæ perditione prædixit; detractores poſt eius obitum aduenturos forè præſciuit, ac pluries, atque pluries diuerſis temporibus varijſque perſonis ſuã prædicens mortem, acerrimam totius ferè orbis cõquaſſationem præmeditatus fuit, &c. Quæ omnia, cæteris neglectis, Hungariæ Rex, aliiq; Proceres, & Prælati ſtrictè, ipſo viuente animaduertentes, ac poſt eius mortem maximam miraculorum coruſcationem conſiderantes, infinitumque populi concurſum, & deuotionem admirantes, poſt decem, & octo menſes infra referenda miracula notare iudicarunt, illaque cum ſequenti, & digna relatione cunctis Chriſtianorum Proceribus ad maiorem Dei, eiuſq; Beati gloriam tranſmiſere.

Quibus præmiſſis, prçuia deinde Iuriſperitum mirabilium Capiſtrani habita relatione in ſexdecim ſequentes articulos eruditiſſimè iuridico more diuiſa, primus nempè.

1. *Beati Patris ad religionem Ordinis mendicantium S. Franciſci mirabilis conuerſio cum illius præcipuo feruore.*
2. *Doctrina ſacra cum multitudine librorum.*
3. *Contemptus dignitatum mundanarum, & Eccleſiaſticarum.*

4 *Super excellentes virtutes, & merita eius inſignia.*
5 *Regimen ſanctum eius cum regularis obſeruantiæ familiæ propagatione.*
6 *Patientia in perſecutionibus propter zelum Dei.*
7 *Labores multi, mores caſti. & actus ſtrenui.*
8 *Multa gloria quam fecit Dominus cum eo.*
9 *Sufficientia in operibus charitatis, & innocentiæ.*
10 *Fama celebris Beatitudinis eius. & mors pretioſa.*
11 *Multiplex ſupplicantium inſtantia.*
12 *Maxima temporum mora ſtudioſè expectata.*
13 *Diligentiſſima ſolemnis inquiſitio habita.*
14 *Deuotio pia populorum ad eum ſemper excreſcens.*
15 *Multiplex fructus ſubſecutus in Eccleſia Catholica.*
16 *Multorum verorum miraculorũ coruſcatio diuturna.*

fuit per Summum Pontificem ſanctæ recordationis Leonem X. iuxta infras relatas literas indultum, vt die 23. Octobris feſtum B. Ioannis de Capiſtrano in Dioceſi, ac Territorio Capiſtrani ab omnibus, tàm Regularibus, quàm Secularibus celebrari poſſet; illudque nouiſſimè Gregorius XV. vnanimi Sacræ Rituum Congregationis Cardinalium voto per literas in forma breuis expeditas, hic vna cum eiuſdem Sacræ Congregationis decreto regiſtratas, ad omnes vtriuſque ſexus Ordinis Sancti Franciſci, quo ad Officium de communi Confeſſo-

rum die ſupradicta recitandum, quo verò ad Miſſam, etiam ad ſeculares quoſcumque in Eccleſijs Fratrum, ſeù Monialiũ eiuſdem Ordinis S. Franciſci celebrantes extendit, & ampliauit.

BERNARDINVS miſeratione Diuina Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardin. de Bibiona &c. Vniuerſis, & ſingulis preſentes literas inſpecturis atteſtamur, fidemq; facimus S. D. N. Leonẽ X. Pont. Max. ſuperiori anno in die S. Silueſtri indulſiſſe cum quidẽ præſentes ipſi eſſemus ſupplicante id Fratre Chriſtophoro Foroliuienſi Ordinis Minorum de Obſeruantia Vicario Generali, vt in Diœceſi, Territorioque Capiſtrani celebrari poſſit feſtum Beati Ioannis de Capiſtrano, attenta maxima deuotione, qua Populi erga præfatum Beatum afficiuntur. Ita quidem vt ob illius ipſius feſti celebritatem imputari obijcique nihil poſſit, quod quidem feſtum celebrari debeat ad 23. menſis Octobris tàm à Fratribus ipſius, quàm à Clericis, & ſecularibus, alijſque qui volunt in Diœceſi tantum, territorioque Capiſtrani; & hoc futuris perpetuis temporibus contradictores quoſcunque ſub excomunicationis latæ ſententiæ pœna compeſcendo. In quorum fidem præſentes manu noſtra propria ſubſcriptas fieri, & noſtri ſigilli iuſſimus appenſione muniri. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico die 4. Octobris Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Leonis diuina Prouidentia PP. X. anno 3. D. Cardinalis S. Mariæ in Porticu manu propria ſubſcripſi. Locus ſigilli ✝ pendentis.

Beati

Beati Ioannis de Capiſtrano Minorum de Obſeruantia 16. Iulij 1622.

CVm à fel. record. Leone Papa X. Anno M.D.XIV. indultum fuerit, ut die 23. Octobris feſtum B. Ioannis de Capiſtrano in Dioc. ac Territorio ipſius Capiſtrani ab omnibus celebrari poſſet, ſacra Rituum Congregatio viſa de mandato S. D. N. prædicta conceſſione, inſtante R. P. Fratre Benigno Genuenſi Ordinis S. Franciſci de Obſeruantia Miniſtro Generali, ſi eidem Sanctiſſimo placuerit, cenſuit prædictam gratiam ad omnes, tàm Fratres, quàm Moniales totius eiuſdem Ordinis, quo ad Officium ſub ritu duplici de Communi Confeſſorum, non Pontificum in prædicta die recitandum, quoad Miſſam verò, etiam ad ſeculares quoſcunque in Eccleſijs Fratrum S. Franciſci celebrantium extendi poſſe.

Idem verò Sanctiſs. audita per nos Sacra Congregationis inclinatione, Decretum ſupradictum Apoſtolica poteſtatis plenitudine comprobauit. Cum enim Beati viri quotidie in populo Chriſtiano cultus, & virtutum ipſius augeſcat admiratio, par etiam eſt, vt quæ ipſas ſequitur virtutes, gloria pariter, ac veneratio propagetur.

Franciſcus Maria Card. à Monte.

Locus ✝ Sigilli.

Io. Bapt. Rinuccinus Secr.

Digitized by Google

Gregorius Papa XV.

AD perpetuam rei memoriam Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſeruos ſuos æternæ gloriæ præmio donat in Cœlis vices quanquam immeriti gerentes in terris, ex iniuncto nobis deſuper paſtoralis officij debito procurare tenemur, vt eorumdem ſeruorum Chriſti debito veneratio in dies magis promoueatur, & laudetur Dominus in ſanctis ſuis. Quamobrem fidelium quorumlibet, præſertim verò ſub ſuaui religionis iugo Altiſſimo famulantium votis, quæ peculiarem ſeruorum huiuſmodi cultum reſpiciunt libenter annuimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum Miniſtri Generalis, & fratrum reformatorum Ordinis S. Franciſci nobis nuper expoſitum fuit, quod aliàs à fœl. rec. Leone Papa X. Prædeceſſore noſtro anno 1514. indultum fuit, vt die 23. Octobris feſtum Beati Ioannis de Capiſtrano in Diœc. ac Territorio ipſius Capiſtrani ab omnibus celebrari poſſet; cum autem ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, fratres prædicti pro eo, quem erga ipſum Beatum Ioannem gerunt deuotionis affectu, ac ad augen. Chriſti fidelium erga illum deuotionem, conceſſionem Leonis Prædeceſſoris huiuſmodi per Nos, vt infra extendi ſummoperè deſiderent. Nos eorumdem Miniſtro ex fratrum voto huiuſmodi quantum cum Domino potuimus benignè annuere, illoſque ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpen-

ſionis,

Digitized by Google

ſionis, & interdicti, aliſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quorũlibet innodata exiſtant ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie, abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes ſupplicationibus eorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. De Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum, à quibus conceſſio Leonis prædeceſſoris huiuſmodi de mandato noſtro viſa fuit conſilio, conceſſionem eamdem ad omnes tam fratres, quàm moniales totius Ordinis Sancti Franciſci, quoad officium de communi confeſſoris non Pontificis *in prædicta die recitan. quoad miſſam verò etiam ad ſeculares quoſcumque in Eccleſijs Fratrum ordinis Sancti Franciſci, celebrantes apoſtolica, auctoritate tenore præſentium perpetuò extendimus, & ampliamus non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſquè contrarijs quibuſcumquè. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem ſub anulo* Piſcatoris *die* 10. *Semptembris* 1622. Pontificatus *noſtri anno ſecundo.*

Sumptum ex minuta originali Breuium ſecretorum, fæl, record. Gregorij Papę XV. Collatum concordat.

M. A. Maraldus.

Locus ✝ Sigilli.

Ope-

Operum Beati Ioannis à Capiſtrano Catalogus.

1 *DE electione Papæ.*
2 *Tractatus de dignitate Eccleſię ad Nicolaũ V.*
3 *Contra Huſsitas Liber 1.*
4 *De auctoritate* Papæ, *& Concilij.*
5 *De Religione.*
6 *De ſanguine Chriſti.*
7 *De* Paupertate *Chriſti.*
8 *De Caſibus* Papæ *reſeruatis.*
9 *De modo, & forma executionis teſtamenti.*
10 *De inſtructione ſimplicium Sacerdotum.*
11 *Speculum Clericorum in tres partes diuiſum, in quibus plenè Clericorum dignitatem, officium, & qualitates deſcribit.*
12 *Defenſorium tertij Ordinis Sancti Franciſci.*
13 De *Excommunicationibus ipſo Iure latis.*
14 De *vſu cuiuſcunque ornatus.*
15 De *ornatu mulierum.*
16 De *matrimonio.*
17 De *excommunicatione.*
18 De *Canone* P*ęnitentiali.*
19 *Speculum conſcientiæ.*
20 De *Iudicio vniuerſali, & Antichriſto, ac de bello ſpirituali.*
21 De *vſuris, & contractibus.*

22 De

Digitized by Google

22 De Blaſphemia, & periurio.
23 De reſtitutionibus, & contractibus.
24 De confeſſione facienda proprio Sacerdoti.
25 De cenſuris.
26 De caſibus, et pęnis iniungendis.
27 De pænis Inferni, et Purgatorij.
28 De cupiditate, et Auaritia. Libri 3.
29 De paſsione Domini.
30 De proceſsione Spiritus Sancti.
31 De Conceptione Beatiſsimæ Virginis.
32 Comentarium in Regulam fratrum Minorum.
33 Tractatus contra Philippum Berbegallum Pontificias declarationes in regulam Minorum reſpuentem.
34 Tractatus contra Ioannem Rochezanam de fidei veritate.
35 Tractatus continens concionatorias expoſitiones eius ſuper illud Iſaię cap. 7. Ecce Virgo concipiet.
36 Liber intitulatus Interrogatorium.
37 Liber de caſibus conſcientiæ.
38 Tractatus contra Iudæos, et Hæreticos.
39 Tractatus cui titulus: Canones ē corpore iuris.
40 Compendium reſolutionum ſuper totum corpus decretalium.
41 Quæſtio, an omne mendacium ſit peccatum.
42 Tractatus ſuper Apocalypſim.
43 Sermones dominicales, et feſtiui.
44 Animaduerſiones circa ſacroſanctū Miſſę ſacrificium.
45 Tractatus, ſeu Sermo ad Studentes.

Digitized by Google

Digitized by Google

EXEMPLVM

Deſcriptionis nonnullorum Miraculorum

B. IOANNIS

A CAPISTRANO.

NOVERINT Vniuerſi, ad quos præſentia ſcripta deuenerint, quatenus nos Iudex, & iurati Ciuitatis Vvylax, ac etiam Ciues eiuſdem, ſub fælici Dominio, & protectione Magnifici Domini Noſtri Nicolai de Vvylax Vaiuodæ Tranſiluani, conſtituti: Notum facimus, & teſtamur, quod Beata memoria olim Venerabilis Pater frater Ioannes de Capiſtrano Italicus ordinis Obſeruantiæ fratrum Minorum poſt multa, & ſtrenua opera ab eodem per diuerſas mundi partes perpetrata; poſt multa laborum ſuorum merita, poſt prædicationem Cruciatæ in hoc Regno Vngarię, poſt debellationem Turcarum in hoc Nauteralbenſi Caſtro diuinitus factam ipſo Cruce ſignatorum Capitaneo, ac Ductore cum Vexillo Crucis, & cum acclamatione Sanctiſſimi nominis Ieſu, aſſiſtente ei bonæ memoriæ Magnifico Domino, & Illuſtriſſimo Principe Domino

Digitized by Google

Ioanne de Huniad, olim Gubernatore Regni Vngariæ, & verò fidei Catholicæ Protectore, in prædicta Ciuitate, apud nos immeritos ex hac vita plenus meritis, cruce ſignatus, ac glorioſus fæliciter migrauit ad Celum, ibique requieſcit in Eccleſia Sanctæ Mariæ apud Fratres de Obſeruantia eiuſdem ordinis, quos, ipſe talia ſibi diuino ſpiritu reuelante præuidens, illic ante ipſius obitum introduxerat, obijt autem anno Domini 1456. Die Octobris 23. hora verò 21. die Sabbati Pontificatus Sanctiſſimi Domini Caliſti Papæ tertij anno primo: Legato verò Germaniæ, & Vngariæ Reuerendiſſimo Domino, Domino Ioanne Cardinali Sancti Angeli, Regnante Vngariæ, Boemieque, &c. Ladislao Rege: quod autem prædictus vir Domini apud nos quieſcere voluit, non niſi diuinitus factum eſſe arbitramur, nàm cum hæc ciuitas turcarum feritati vicina exiſtat, ſitque ſchiſmaticis, & Paterenis vndique vallata, dignatus eſt omnipotens Deus illic ſeruum ſuum conſtituere, ac locare, vbi ſicut viuens fuit infidelium perſecutor, & Turcarum debellator, ita eorumdem, mortuus ſit perpetuus terror: nos autem tantam in eum deuotionem, & deuotam fiduciam habemus, vt propter eum nihil ab infidelibus timeamus: nam cum ſuperioribus diebus, tota Patria ſpoliata rebus, & perſonis, & igne conſumpta, ad noſtram ciuitatem Turcæ deuenirent, inuenirentque nos diſperſos propter vindemias, nihil nobis nocere potuerunt, ſed ciuitate intacta dimiſſa, timidi ad ſua fugientes redierunt, quod non niſi meritis, & interceſſionibus iſtius Beati viri fratris Ioannis adſcribendum putamus; poſt cuius fælicem obitum illico ante tumulationem apparere cæperunt miracula, ad quæ non ſolum vniuerſa ciuitas noſtra, cum adiacentibus partibus commota eſt, ſed à remotis confluebant Populi ad eius ſepulcrum, & adeo cateruatim, vt non ad ipſum Beatum, ſed ad alterum Apoſtolum currere viderentur; nos autem talia videntes,

conſi-

Digitized by Google

conſiderantesque continuum populorum concurſum, & miram ſignorum curruſcationem certificati de huius viri prodigijs poſt annum cum dimidio, multis interea neglectis ſcribendum, ac notandum duximus miracula, quæ poſtmodum ad interceſſionem, & merita ipſius Beati fierent, ne tam à Deo, quàm ab hominibùs de tam ſolemni dono fideì chriſtianæ collato, vt ingrati notaremur. Deputauimus igitur nos Ciues de mandato, & voluntate egregiorum virorum Vicebanorum Marchionenſium, & Iudicis Curiæ vices prædicti magnifici Domini noſtri Domini Nicolai gerentium, aliquos ciues bonæ famæ, & conſcientiæ, bonique Teſtimonij ſuper auditione, & examinatione, ac teſtificatione miraculorum futurorum: dantes eis omnimodam facultatem, tam ex parte Curiæ; quàm Ciuitatis, & illam auctoritatem ſuper examinandis, quàm tam Curia, quam Ciuitas dare poteſt. Hi autem ſunt Guido Italicus de Aretio notarius, & Ciuis in Vuylax, Michael Gaphar Mercator, & Litteratus, & Bartolomeus Arcupa, ſiue arcum magiſter, qui diligenter iuſſa complentes vt quæſita veritate cum Iuramento firmata multis adhibitis Teſtibus miracula, quæ obuenerunt, & quæ vſque in hodiernum diem ad ipſius Beati Viri merita, fiunt, conſcripſerunt, atque ſcribunt. Multa ſunt, de quibus propter nimiam confluentiam populorum, nulla ad eos peruenit notitia; quæ ſi omnia tàm ſtudioſe neglecta, quàm illa, quæ ſciri non poſſunt, notarentur, magna de iſto Beato Viro fierent miraculorum volumina: Hæc autem pauca ſcripta ſunt, vt vnuſquiſque de efficaci interceſſione famuli Domini certior fiat, & in fide cum operibus iuſtitiam ſeminans ſciat ſibi mercedem fidelem apud Deum repoſitam, & quia pro augumento Chriſtianæ Religionis, pro debito honore ipſius Viri Dei, ac etiam pro communi deuotione populorum, nec non pro magnificentia iſtius Regni Vngariæ, excellentia Domini noſtri

Digitized by Google

prælibati, vna cum aſſiſtentia Sereniſſimi Principis, & Excellentiſſimi Domini, Domini Matthiæ dei gratia Regis Vngariæ,&c. ac etiam aliorum Reuerendiſſimorum Prælatorum, & Magnificorum Virorum, & Baronum iſtius Regni intendit promouere, ac petere Canonizationem apud Romanum Summum Pontificem, vt dignè honoretur ipſe Beatus in terris, ſicut ſcimus certitudinaliter exaltatum in Cælis, rogamus omnes, & obſecramus in Domino Ieſu Chriſto tam Prælatos Eccleſiaſticos, quàm Principes, & Rectores Ciuitatum, vt vna nobiſcum pro poſſe, velint huic tam ſancto, tam communi, tamque debito negotio eò fauorabilius inſiſtere, quo clarius, ac diutius ipſius Viri Dei ſanctimoniam vitæ nouerunt, & quo Sedi Apoſtolicæ propinquius exiſtunt, vt ſuo honore quæſito, & aſſecuto in terris, ſimul cum ipſo ſua interceſſione poſt huius vitæ terminum exaltari mereamur in Cælis: ſcribuntur itaque huiuſmodi miracula per nos ſigillanda, & ad veſtras deuotiones dirigenda, ac eis præſentanda teſtibus per nos deputatis, & alijs, ac etiam iuramento munita, quæ ſic incipiunt.

Paralytica, & Cęca.

BAlthaſſar Pellifex de Vuylax præſtitit iuramentum coram prædictis Teſtibus deputatis & coram Sebaſtiano Pellifice, & Michaele de Aralbas, & quampluribus alijs commercaneis; Quod habēs filiam nomine Eliſabeth obſeſſam à paralyſi in collo, & capite, & totaliter cæcam per tres annos integros, fecit eam duci ad corpus Beati Ioannis fratris antequam fuiſſet tumulatum: quæ cum fuiſſet oſculata manus defuncti, ſtatim viſum recepit amiſſum, ſanaque ac læta ad domum patris Iuuencula remeauit, quæ per ſororem ſuam minorem antea manu ducebatur ad locum quemlibet, & non ſolum viſum recuperauit;

Digitized by Google

rauit; Verum etiam paralyſi liberata extitit, quæ puella erat annorum vndecim, cuius infirmitas tote Ciuitati nota fuit.

Patiens ſæuiſsimum Vlcus.

PEtrus Leep dictus de Vuylax habens filium quinque annorum ſæuiſſimum vlcus in gutture patientem, qui nec aquam deglutire valeret, nec aliquid comedere, facto voto viſitandi Sepulcrum Viri Dei, & adimpleto, filium ſanum, & liberum recepit, quod coram Teſtibus deputatis iuramento firmauit, huic etiam rei teſtimonium perhibent Margareta Coniux prædicti Matthiæ, & omnes vicini eiuſdem.

Grauiſsima Infirmitas.

ELena mater Ioannis [illegible]icidæ de Vuylax præſtitit iuramentum, coram depu[illegible] Auditoribus, & coram Domino Fabiano Sacerdote Altar[illegible] Eccleſiæ Sanctæ Helenæ, ac Nicolao Viro Balthaſſar de [illegible]hvuan dicens, quod paſſa fuit talem infirmitatem per [illegible] manum, & vnum pedem, quod nihil mouere poterat, immaficio iſtorùm membrorum omninò deſtituta, & deſolata iacebat, quæ, voto emiſſo viſitandi tumulum Viri Dei, ſtatim integræ, & priſtinæ ſanitati eſt reſtituta.

A Grauiſsimo morbo peſtilentico liberata.

FIlia Antonij Pholax dicti de Vuylax peſtilentico morbo adeò grauata iacebat, vt non niſi de morte ſperabatur, cuius Parentes ſub ſpe, & deuotione, quàm habebant in Beatum Patrem, fecerunt eam duci ad tumulum eius, & ſtatim anichillatum eſt apoſthema & penitus

Digitized by Google

nitus diſſipatum, puellaque ad domum ſana reuerſa eſt, fatentur hoc conſcientiosè omnes de domo illius, cum iuramento coram Teſtibus deputatis, & multis.

Proximus Morti ex diuerſis f bribus.

MIchael Tegzis dictus de Vuylax de platea Sancti Ladislai habens filium quinque annorum patientem febres per medium annum tertianam, & poſtea quotidianam, qui ità deſtitutus erat viribus, quod nec comedere, nec ambulare, imò iam morti erat propinquus. Parentes eius eumdem vouerunt ad Tumulum Viri Dei deportare: quo facto ſtatim ſanitati reſtitutus eſt, teſtes ſunt Nicolaus litteratus de eadem platea, & Eliſab... relicta Petri Katona, Dorotea Vxor Michaeli... arnificis, & hoc corã Teſtibus deputatis iurament... ... firmarunt.

Paralyticus C... ...tus, & Cęcus.

L Auren... ...pa dictus de Vuylax de platea piſca... præſtitit iuramentum coram Teſtibus depu... vna cum Emerito Dobas de eadem platea, & Michaele piſcatore, Petro Baxoni, & Iacobo piſcatore cum vxore ſua Eliſabeth, & etiam tota platea piſcatorum ſcit, & teſtificatur ipſe Laurentius, qui vltra annum ita fuit paralyſim paſſus, quod deuenit contractus totaliter in pedibus, & in oculis, & vltra annum ita fuit deſtructus, & obcæcatus, quod etiam partem Domus ſuæ neſciebat exire ſine ductore, & duci non poterat niſi per ſuſtentacula: emiſſo voto ad ſepulchrum Beati Patris, immediatè ſanitati optimæ reſtitutus eſt, & abſque ſuſtentaculis ambulat quocumque vult, & ſine ductore, & ſimul cum alijs artem piſcatoriam exercet.

Vicinus

Digitized by Google

Vicinus Morti, & à morbo Caduco liberatus.

MArgareta vxor Martini de Vuylax præſtitit iuramentum coram Teſtibus deputatis vna cum relicta Georgij Thar dicti de eadem: quod habens filium paruulum à caduco morbo vexatum, & in tantum deuenerat ipſe filius, quod nulla ſpes erat amplius de vita ipſius; flexis genibus & maximo fletu deuouit dictum puerum ad Sepulchrum Beati Patris deportare, quo facto mortis periculum euaſit, & à morbo prædicto integre liberatus extitit, amplius non vexatus.

Liberata à periculo damni ſparſionis Vini.

EAdem mulier ſupra Margareta fatetur ſe habuiſſe vnum vas vini fratris ſui Benedicti in cellario ſuo, de quo vaſe omnes circuli ſimul rupti fuerunt, ex quo vinum abundanter affluebat ad terram, quæ videns tale, & tantum damnum, flexis genibus in medio cellarij eleuatis manibus commendauit ſe Beato Patri; Et ecce illico vinum ſtetit, nec aliquod damnum paſſa, ſicque vocato artifice vas reſarciuit; Teſtes huius ſunt Andreas Thar dictus, & Gregorius Hopam, qui dictum vas reſtaurarunt.

A dolore ex Paralyſi liberata.

BArbara Vxor Balthaſſar pelliſicis de Vuylax per annum paſſa eſt intollerabilem dentium dolorem, & validam paralyſim in collo; ita quod, nec caput tegere, nec collum vertere valeret, ſed omiſſo voto ad Tumulum B. Viri Dei, mox liberata ab his facta eſt, cuius veritatis Teſtes ſunt omnes vicini eiuſdem.

Digitized by Google

Ab Apoſtemate, & contractione liberata.

MArgareta Coniux Matthiæ dicti ſupra de Vuylax habens grauiſſimum apoſthema in vno pede, ex cuius liuore eumdem pedem contractum habebat; facto voto viſitandi Sepulchrum Viri Dei, ſtatim ſanitati reſtituta eſt, hoc coram ſupradictis auditoribus iuramento firmauit, cui etiam perhibent Teſtimonium tota Domus ſua, tota vicinia, & etiam Petrus Zeep dictus, & Eliſabeth relicta Matthiæ Pinter.

Liberata à contractione.

GEorgius Pap dictus de Moho habens filiam paruulam contractam, nec ambulare valentem niſi ſuper genua, & manus, facto voto illam ad tumulum Beati Patris deportare, illico ſanam, & erectam filiam recepit: Teſtes ſunt Matthæus Simon, & Georgius Iacobi de eodem Moho, & ipſe iuramento firmauit coram deputatis.

Liberatus ab Agone mortis.

NObilis quidem Georgius nomine dictus Sheurak præſtitit iuramentum coram Teſtibus deputatis, & coram multis alijs, quod habens filium paruulum in extremis agonizantem flebat eum quaſi mortuum, Vxor autem eius fiduciam habens in meritis Beati Patris, concito gradu filium taliter relinquens in achia, venit ad Sepulchrum Beati Patris, quæ cum (facta ſua oratione) Domum reuerſa eſſet, filium ſuum, quem in extremis poſitum reliquerat, ſanum, & incolumen reperijt.

Libera-

Digitized by Google

Liberatus à periculo mortis, & agonizationis.

ROmphon Curię magnifici Domini Ludouici de Marooth præſtitit iuramentum coram teſtibus deputatis de Vuylax, & coram multis alijs, quod habens in dicto Oppido Achia filium paruulum in extremis poſitum, & emittens votum pro eo ad Sepulchrum Beati Patris, à faucibus mortis liberatus eſt, eſtq; ſanus, & recens.

Contractus mirabiliter liberatus.

NIcolaus dictus Kis de Kalom pręſtitit iuramentum coram teſtibus deputatis vna cum iſtis viris, Martino de Kalom, & Paulo litterato de eadem, & hoſpita eiuſdem apud quam iacuit, quod miſerabiliter fuit contractus in pedibus, & in dorſo, & voto emiſſo ad Sepulchrum Beati Patris, conſecutus eſt optimam ſanitatem.

Surdus per ſeptendecim annos eſt liberatus.

NObilis quidam Georgius nomine de Bete præſtitit iuramentum coram deputatis teſtibus, quod per ſeptendecim annos fuerat totaliter ſurdus, quæ ſurditas contigerat ſibi ex longa, & moleſta quadam infirmitate, & ita vehementer ſurdus erat, quod quantumcumque quis ad eius aures proclamaſſet, vel quemcumque ſtrepitum quis feciſſet, tanquam truncus inſenſibilis erat nihil audiens, ſed ſolum nutibus aliquid perpendebat, facto voto ad Sepulchrum Viri Dei, auditum optimè recepit quæ res eſt ad notitiam totius diæceſis Bellæ quaſi totius prouinciæ Bachrienſis.

Digitized by Google

Paſſa caducum morbum annos decem, & liberata.

VXor Pauli Pellificis de FutaK præſtito iuramento coram deputatis vna cũ iſtis viris Ioanne Perſcth, & eius vxore, & vxore Simonis Gregorij, & quam plurimis de eadem, dicit, quod ipſa habuit caducum morbum per decem annos continuos, & facto voto ad tumulum Viri Dei, immediate liberata eſt à dicto morbo, nec ab eo amplius vexata.

A Caduco morbo liberatus.

VAlentinus Paſga de Ghitel habens filium nomine Gaſparem, qui caduco morbo miſerabiliter à iuuentute ſua corripiebatur, & facto voto Sepulchrum Viri Dei viſitandi liberatus eſt; teſtes ſunt omnes ſui conuicini, & iuramento firmauit hoc coram deputatis.

Lumine oculorum priuatus, & liberatus.

VAlentinus Fabo dictus de Viſalu præſtitit iuramentum coram deputatis teſtibus vna cum iſtis Viris Benedicto Elia de eodem, & Thoma VuaK dicto, & Gregorio Georgio de Metni, & dixit quod per tres annos continuos ex infirmitate oculorum videre non potuit, viuens in anguſtia, & ab omni cura, deſperatus, qui deuouens ad tumulum Beati Patris, & veniens ad iſtud cum ductore in feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli 1457. illico illuminatus eſt per illum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Miſe.

Digitized by Google

Miſerabiliter in vno pedum contracta, & liberata.

ELiſabeth vxor Petri Ezeleer de Zegdino præſtitit iuramentum coram teſtibus deputatis, vna cum iſtis videlicet Luca de platea Sanctæ Eliſabeth, Blaſio Sartore de eodem Oppido, atq; vicinis eiuſdem, & dixit quod ipſa fuit contracta miſerabiliter in vno pede vltra annum, quæ faciens votum viſitandi Sepulchrum Beati Patris, ſanata eſt, & ſanitati priſtinæ reſtituta.

Ab horribili infirmitate liberatus.

HElena vxor Georgij Huza dicti de Vornes præſtitit iuramentum coram teſtibus deputatis, vna cum vicinis ſuis, videlicet Georgio Sartore, & Gregorio, & & quam pluribus alijs de eadem villa, dixit quod ipſa adduxit filium ſuum nomine benedictum, poſt votum factum ad tumulum Beati Patris, qui patiebatur talem infirmitatem, quod ſecreta naturæ exibant per locum vinalem, & erat in extremis, & dixit, quod facto voto, illum ad Sepulchrum Beati Patris deportare, mox illa die qua votum emiſit, ab omni ſua infirmitate liberatus eſt.

Ex infirmitate vicinus morti eſt liberatus.

HElena vxor Valentini de Thytno præſtitit iuramentum coram teſtibus deputatis de Vylax vna cum infraſcriptis, videlicet Demetrio Patre Valentini, Matthia Patre vxoris, Benedicto Raax dicto, & quampluribus alijs, quod cum peperiſſet puerum in hebdomada tranſacta, adeo os ipſius pueri obſtructum fuit quod, nec mammas matris, nec aliquid aliud in os accipere per nouem dies potuit, & erat tanquam mortuus, ipſa autem Mater infan-

tis, poſtquam votum emiſit ad tumulum Viri Dei puerum deportare, gratiam obtinuit, nam mox reuerſus in ſe infans eſt, & obſtructum os eſt apertum, & optimè ſanitati puer reſtitutus eſt per eum, qui reſtaurat vniuerſa.

Horribili, & varia infirmitate laborans, et liberatus.

BEnedictus Monas dictus de Erdeud præſtitit iuramẽtum coram teſtibus deputatis vna cum iſtis videlicet, Benedicto Babus de Erdeud, Blaſio Sypos, ac Benedicto Vallico, quod in feſto Sancti Michaelis 1457. Sedens ad menſam ſuam contigit ſibi, quod media pars ſui corporis arefieret in tantum, quod vnam manum, ac vnum pedem, nec mouere poſſet, inſuper ex parte ſiniſtra fuit ſibi os contractum vſque ad aures, ita quod minimè poterat loqui, qui intra ſe votum faciens viſitandi tumulum Beati Patris incontinenti facto voto, os in priſtinum locum redijt, & loqui incepit ſicut prius; feria verò quarta ante feſtum S. Eliſabeth duci ſe fecit ad tumulum Beati Patris in Vuylax, & in die altera perfectè ſanatus eſt.

Contractus, et deſtitutus miſerabiliter, et liberatus.

EMericus Pellifex de Zegdino præſtitit iuramentum coram teſtibus deputatis, quod filius ſuus nomine Dominicus ex infirmitate grauiſſima, & ſubitanea ità deſtitutus fuit brachijs, & pedibus, quod non poterat ſe voluere de latere in latus, ſed quemadmodum truncum inſenſibilem oportebat eum per alios portari, & leuari ſecundum oportunitatis neceſſitatem eiuſdem, imò potuiſſet mori fame, & ſiti niſi alitus eſſet per manus aliorum à feſto Sancti Lucæ, vſque ad Natiuitatem Domini 1457. quem ipſius Pater deuouens ad Sepulcrum viri Dei deportare lacrimoſis oculis ſibi filium comendauit, & facto

voto,

Digitized by Google

voto, cępit conualeſcere, adeo quod in paucis diebus integrè ſanatus eſt, cuius rei teſtes ſunt Paulus Pelliſex, Petrus Capo, Dionisius Sellator, & quamplures de Zegdino.

Mutus contractus, et grauiter infirmus, et liberatus.

MAtthias Lede de Henieres præſtitit iuramentum coram deputatis auditoribus, & multis alijs, ac dixit, quod cum filius ſuus Nicolaus nomine in feſto Sancti Antonij Abbatis 1458. incideret ligna in quadam Silua, quadam repentina infirmitate præuentus amiſit loquelam, & per quatuor hebdomadas, nec pedibus ambulare, nec manus, vel brachia flectere, imò nec cibum, nec potum ſumere poterat per idem tempus, & ita clauſo ore, & ſtrictis dentibus ſtabat, quod, nec cum cultello poterant aperiri, ſed ſolum ſtillando ſibi inter dentes aliquid liquoris, aliter mori potuiſſet, & ſic tanquam truncus immobilis iacebat, cuius Pater in anguſtia poſitus flebiliter, ac deuotè deuouit illum ad tumulum Viri Dei deportare ſi ab his tantis præſſuris liberaretur: mirum certe; mox facto voto Nicolaus loqui incepit, & in omnibus membris priſtinam, & optimam ſanitatem adeptus eſt per merita Beati Patris; hoc etiam idem filius ſanatus iurauit, & eſt ad notitiam totius villæ Henieres: recitata ſunt hæc apud Sepulchrum ipſius Beati Viri, coram magna multitudine Populi, de quo fuit ſtupor, & gaudium apud omnes, augumentum deuotionis erga Beatum virum.

Priuata lumine, et liberata.

DOrothea vxor Emerici inſtitoris de Themeſnar filia Iudicis ciuitatis præſtitit iuramentum coram deputatis, & coram magna multitudine populi in feſto Sancti Petri ad Vincula 1458. & dixit, quod tali fuit in oculis percuſſa

cuſſa moleſta infirmitate, quod vltra annum ipſos habuit contectos quibuſdam pelliculis, ita quod in vltimo per tres menſes nihil penitus videbat, & multis adhibitis remedijs, nullum leuamen ſentiebat; quæ audiens famam miraculorum Beati Patris, & confluentiam populorum ad eius tumulum; voto etiam ſe contrinxit tumulum viſitandi, & ſtatim clariſſimè illuminata eſt, adeò quod nullum veſtigium albuginis in oculis apparet, imò ita claros oculos habet in acutum viſum, ac ſi vnnquam nihil mali in eis habuiſſet hoc ipſa mulier domina veneranda, & conſcientioſa, vt dictum eſt retulit, hoc etiam teſtificantur potiores ciues illius Ciuitatis, laus ergo illi, qui eſt lux æterna, qui ſeruum ſuum, ita magnificat, mirificat, & illuſtrat omni Populo.

A grauiſſimis febribus liberata.

MArgareta Vxor Benedicti Sardonis de Chica prope Bachiam in diſtantia quatuor milliarũ à Vuylax præſtito iuramento coram teſtibus deputatis vna cum Patruiſſa ſua nomine Scolaſtica vxore Petri Želecs retulit, quod ex vehementiſſimis febribus tertianis, & quandoque quartanis, quas paſſa fuerat vltra annum, adeo cõſumpta, & attenuata deuenerat, quod nec aliquo poterat ſanari remedio, facto voto ad ſepulchrum viri Dei, integralitèr, ac perfectè ſanata eſt, nec amplius febrium moleſtata, de qua re teſtimonium facit tota illius Villa.

Febricitans inflata, et deſperata de Vita.

SColaſtica iam predicta habens filiam nomine Catherinam dato iuramento aſſeruit ipſam filiam paſſam fuiſſe febres diuturnas, & mortales, & per tres menſes ità fuiſſe inflatam, quod nulla de ipſius vita ſpem haberent

facto

facto voto ad tumulum viri Dei illam deportare, illico filià morti vicina ſanata eſt, & primo vigori reſtituta, quod eſt etiam ad notitiam totius Villæ.

Ex diutisſimis febribus deſperata de vita.

ELias Carnifex de Vumant præſtito iuramento coram deputatis auditoribus dixit, quod habens filiam nomine Annam quatuor annorum patientem febres acutiſſimas per duos continũos annos, de qua ſpes non erat, quod poſſet ſuperuiuere, emiſit votum, eam ad tumulum famuli Domini deportare, quo emiſſo, ſtatim liberata à febribus, optimę ſanitati fuit reſtituta, cuius rei perhibent teſtimonium Auia ipſius Puellæ, vxor Matthiæ carnificis, Blaſius ſarhas, qui Puellam leuauerant de Sacro fonte, & multi alij.

Morbum caducum decem annos patiens, & vicinus Morti.

BEnedictus Hongo de Hazam præſtito iuramento coram deputatis ciuibus dixit, quod filius ſuus nomine Matthias ætatis annorum decem paſſus fuerat horribilem morbum caducum à natiuitate ſua, ex quo erat iam conſumptus, & in procinctu mortis, nec remedia adhibita ſibi valuerant, audita fama miraculorũ Beati Patris deuouit eum ad ipſius tumulum deferre; ò glorioſus Deus ſubito facto voto, iuuenis liberatus eſt, & integræ ſanitati reſtitutus, quem liberum, & pulcherrimum duxit ad ſepulchrum viri Dei.

Hor-

Digitized by Google

Horribilis, & multiplex infirmitas.

Item Benedictus Pater iſtius pueri ſanati, grauiſſima infirmitate oppreſſus, & habens caput ita terribiliter inflatum, quod oculos nullo modo poterat aperire, etiam manibus ſine maximo dolore, facto voto ſepulchrum Beati Patris Dei viſitare, à dicta inflatione, & infirmitate extitit liberatus, priſtinum recuperans viſum, pro cuius infirmitatis veſtigio omnes crines ſui capitis defluxerant. Hæc omnia ſunt ad notitiam totius oppidi dicti, & ipſe etiam iuramento firmauit.

Contractus curuatus deſtitutus, & proximus morti.

PEtrus inſtitor de Zegdino veniens vna cum coniuge ſua Margareta nomine, & vxore Matthiæ Caſtellani nomine Eliſabeth præſtiterunt iuramentum coram deputatis teſtibus, & dixerunt, quod habebant vnum filium nomine Blaſium, qui ſeptimo die à natiuitate ſua taliter infirmus deuenit, quod contractus erat manibus, & pedibus, & curuatus retrorſum, ita quod, nec flectere, nec extendere ſe poterat vllo modo, ſed tanquã lignum, vel truncus appodiabatur ad parietem per modum rotæ, vel circuli, ita quod ſubtus extenſus, & oculis apertis, & ſurſum fixis iacebat, etiam clauſum habebat; ita vt vix cum digitis, & violentia poterat ſibi aperiri, vt lac ſibi infunderetur, imò per ſexdecim dies mammas ſugere non potuit, & ſic de die in diem deficiens, erat omnis ſpes vitæ ipſius ſublata, iam putrefactus ex illa curuatione ſub brachijs ita annexis, & infixis; manus autem, & pedes erant conglobati, & etiam putrefiebant. Pater autem, & mater filium videntes tanta moleſtia oppreſſum, deuouerunt illum ad tumulum viri Dei deportare, ſi ſanaretur. Mirabilis Deus

in

Digitized by Google

in ſeruo ſuo; emiſſo voto mox filius integerrima ſanitate potitus eſt; & eſt hodie ita delectabilis, & elegans puer ad videndum, quod eſt mirum, & nō minus tenent parentes, quam ſi de morte fuiſſet reſuſcitatus ad vitam.

Agonizans in extremis, & iam quaſi mortuus.

IOannes Hemes dictus vna cum coniuge ſua Eliſabeth de Zegdino præſtiterunt iuramentum coram deputatis ciuibus, & multis alijs dicentes, quod cum haberent vnum filium nomine Laurentium adeo grauiſſima infirmitate oppreſſum, quod iam erat in agone mortis, imò non poterat diſcerni, vtrum eſſet mortuus, an viuens; ex quo mater doloroſa genuflectens lacrimoſis oculis, ac manibus eleuatis, cum magna deuotione deuouit hunc puerum ſi euaderet à faucibus mortis ad tumulū viri Dei deportare. O mirabilis Deus: mox emiſſo voto puer ſanus, & recens effectus eſt, quod fuit in feſto Corporis Chriſti 1458. qui propter alias eorum occupationes votū ſoluere neglexerunt; Et ecce circa Aſſumptionem B. Virginis Mariæ eiuſdem anni grauiori infirmitate eorum filius opprimitur, obiectus ſcabijs abominabilibus, & præ febribus vehementiſſimis iam defuerat, & magis quam prius morti proximus erat, nec ſentiebant in eo vitalem ſpiritum, pro quo pater, & mater eiulantes, & amariſſime flentes, pariterque genua flectentes, de commiſſa negligentia ſua pectora tundentes, votum tam emiſſum, & neglectum, iterum cum ſuſpirio renouarunt. O miraculum miraculo cumulatum, ecce eadem die puer ſaniſſimus effectus eſt, quem ilico accipientes celeriter deportauerunt dicentes: verè non minus habemus, quam ſi iſte Beatus ſeruus Dei à mortuis reſuſcitaſſet filium noſtrum viuum, ſit laus, & gloria Deo qui glorificat, & magnificat ſeruum ſuum. Hæc teſtantur etiam multi de Zegdino.

Digitized by Google

Grauiſſimè infirmus, et in agone mortis laborans.

SOphia vxor Stephani Bahor de Zegdino preſtito iuramento corám ciuibus deputatis dixit, quod habuit vnum filium ſex annorum quem duxerunt, nomine Ioannem, qui grauiſſima infirmitate oppreſſus, & omnibus viribus per octo dies deſtitutus iacebat agonizans, nec loqui, nec vocem emittere valens, qui facto voto per matrem ad tumulum Beati famuli Dei deportare, quam citius poſſet, ſtatim ſanus factus eſt, qui iam ſpumas emittebat, & qui inſenſibilis fuerat effectus incepit, & eadem die de lecto ſurrexit ambulans quocumque volebat ad gloriam & laudem Dei, & Beati Ioannis.

Mortuus viſus, et creditus, ac iudicatus, et reſuſcitatus.

CLemens Vuida de Chazar vna cum vxore ſua Helena præſtito iuramento coram teſtibus ad hoc deputatis, ac etiam coram Gregorio Michaele de Huylax, & Gallo magno familiari magiſtri curiæ domini Nicolai, & Michaele Bachij de Peth expoſito Vuylax, & coram Ioanne Apo, & Michaele Olayos de eadem, & Blaſio Sorgat dè Vuylax à vicario curiæ Budenſis, & coram Sophia vxore, coram vxore Ladislai Viceres Helena vocata de Buda coram Benedicto de Gaza, Michaele de Raath ciuibus Budenſibus, & coram magna multitudine aduenientium de diuerſis partibus, & poſtea coram toto populo in ambone, vbi fuerunt vltro duodecim millia perſonarum cum lætitia lachrimabili, & pia proteſtatione coram predictis, replicatis vicibus iure iurando dixerunt, ſcilicet Clemens, & Helena eius vxor, quod filius eorum Petrus nomine preſſus fuerat plures dies à caduco morbo diu noctuque inceſſanter, adeo quod non

po-

Digitized by Google

poterat per tres dies ſugere vbera matris, & in tantum defecerat, quod parentes eius, quid de eo facerent, ignorabant iam deſperati de eius vita; audientes autem famam miraculorum, quæ ad ſepulchrum viri Dei fiebant, & confluentiam Populorum vndique, decernunt illum puerum ad illius tumulum deportare pro deuotione, & ſpe, quam habebant in B. P. fratrem Ioannem, & inuoluentes puerum in panniculis velocius verſus ſepulchrum feſtinant, peruenientes autem ad primam plateam Ciuitatis Vuylax mater voluit reuiſere puerum, qualiter ſe haberet, & diſcooperiens reperit ipſum mortuum, & infrigidatum, atque totaliter denigratum, quæ cum maximo fletu dixit marito ſuo, *heu reuertamur, & ſepeliemus eum, quia mortuus eſt*, & palpantes pater, & mater puerum, & ſtringentes nares, aures, & omnia membra eius, & digitos manuũ, & pedum, nullam vitam in eo ſentiebant, ſollicitabat mater virum, vt reuertentes ſepellirent eum, cum maritus dixit *non reuertar, portemus eum ſic ad ſepulchrum viri Dei, quoniam Deus omnipotens poteſt eum nobis reſtituere viuum per merita iſtius B. Patris*, & euntes inceperunt cum maxima deuotione circumire ſepulchrum, ſicque in circuitione puer in omni ſanitate reuixit, & eſt vſque hodie pulcher, & recens, atque delectabilis ad videndum. Mirabilis ergo Deus in ſanctis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, qui viuit, & regnat in ſæcula ſæcolorum. Amen.

Oppreſſus infirmitatibus, et viribus deſtitutus.

MIchael de Goma prope Tuur coram predictis viris ad hoc deputatis iurauit, quod ex nimia fatigatione, & labore fuit grauiſſimis infirmitatibus oppreſſus, ita quod per totam hyemem iacuit omnibus viribus deſtitutus, audiens autem, quod plurimi receperunt gratiam ſanita-

nitatum ad Sepulcrum Viri Dei ex voto, & ipſe ſimiliter ſic deuouit viſitare ipſius Beati Patris Sepulchrum, & poſt votum ſtatim fuit liberatus, quod ſcit tota villa prædicta.

Non valens ambulare per ſeptem annos, nec ſuis manibus cibum ad os ſuum ponere.

MArgareta vxor Auguſtini Czepleci de villa Pochaij, quæ diſtat tribus milliatibus à Varadino, triginta milliaribus diſtante à Vuylax iurauit ad ſacra Dei Euangelia, quod ſeptem annis integris nunquam ambulauit, niſi geniculando ſuper manus, & genua ſicut puerulus infans, & facto voto viſitare tumulum Beati Patris reſtituta eſt ſanitati in tantum, quod pedibus ſuis peruenit ad dictum Sepulcrum. Inſuper manibus ſuis non poterat comedere, oportebat nutriri per manus aliorum: & de omnibus his libera fuit, quod ipſa iuramento coram deputatis firmauit, & coram Gregorio figulo, Nicolao familiari Domini Abbatis Petri Varadini; Ioanne filio Gregorij Caſtellani, & craſtino ibidem ipſa Margareta coram multitudine populi magna in ambone, & etiam hoc ad notitiam totius villæ Pochaij.

Lupa plaga incurabilis, et periculoſa.

NIcolaus dictus Radoſi, & Dorothea eius vxor de Vuylax iurauerunt coram venerabilibus viris Sacerdotibus Valentino, & Blaſio de Vuylax, & Martino Clerico de Babafalna; Michaele, ac Benedicto, & Ioanne ſartoribus ciuibus de Vuylax, & multis alijs, quod filius eorum, quem duxerunt præſentialiter coram dictis teſtibus ætatis duorum annorum habebat in pectore, & in ſpatula quamdam infirmitatem, quæ lupa, ſeu Cancer vo-

Digitized by Google

catur; quæ plaga continuo carnes eius vorabat, maximè per tres dies validè, quod ſi ad quartam diem duraſſet, omninò expiraſſet, & facto voto ponere vnam imaginem ceream ad Sepulchrum viri Dei, ſi prædictus puer ſanaretur, mirabilis Deus in donis ſuis, ſtatim cœpit conualeſcere, & portato puero ad Sepulchrum cum imagine, ibidem ante receſſum perfectiſſimè ſanatus eſt, ità, & taliter, quod nulla cicatrix remanſit in eius corpore: Hæc prædictus Nicolaus publicè in ambone coram magna multitudine populi recitauit.

Paſſus morbum caducum per ſeptemdecim annos.

IOannes filius Andreæ de Magna Villa, præſtito iuramento coram ſupradictis teſtibus, & coram magna multitudine, videlicet Fabiano filio Clementis, & Laurentio Chadam, & Blaſio Bahoni vicinis ſuis, & multis alijs viris, & mulieribus dixit, quod habuerat morbum caducum ſeptemdecim annos, aliquando cadens in menſe ſemel nihil ſentiens, aliquando infra octo dies, & aliquando poſt triduum; & vouit viſitare Sepulchrũ Beati Patris in Vuylax quolibet anno, ſi à prædicta infirmitate liberaretur, & per gratiam Dei, qui glorioſus in ſanctis ſuis, ab illo die plenè liberatus eſt à prædicta infirmitate, & verè miſerabiliter erat ab iſta infirmitate oppreſſus, nam cadens, tam terribiles actus cum ore, & oculis faciebat, quod aſſiſtentes timebant, & obſtupebant atque horrebant ipſum videre, ſicut prædictus Blaſius Bahoni vicinus ſuus teſtificatus eſt, in cuius preſentia aliquando cecidit.

Iacens tanquam mortuus, grauiſsima infirmitate grauatus.

VAlentinus dictus Patalei de villa Theudes præſtito iuramento firmauit coram Matthia filio Martini

Soce-

Socero ipſius Valentini, Ladiſlao Ehat, Fabiano Thot, altero Fabiano Thot, et tota villa teſtificantur omnes, quatenus ipſe Valentinus habuit vnum filium vndecim menſium nomine Barnabam tanta infirmitate grauatũ, quod à quarta die natiuitatis ſuæ vſque ad decem dies iacuit tanquam mortuus, ità quod, nec poterat plangere, nec aliquam vocem emittere, nec vbera matris ſugere, & ſic abſque remedio portauerunt pater, & mater prædictum puerum ad tumulum viri Dei, qui puer tantum defecerat, quod non poterat iudicari vtrum eſſet mortuus, vel viuus, & inſtanti apud tumulum mirifici viri Dei tantum conualuit, & reuixit, quod tantillus puer incepit palpitare poſt vbera matris, quod fuit mirabile, quod & hoc fuit in feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli, qui puer in illa hora fuit ſanatus.

Deſtituta in toto corpore, et miſerabiliter infirma.

ANna vxor Simonis ſutoris de Vuylax præſtito iuramento coram nobili viro Ladiſlao Ranochy, & Michaele Magiſtro Sagittarum, & Mattheo Theutonico ciuibus de Vuylax, quod à feſto ſanctorum Fabiani, & Sebaſtiani, vſque ad feſtum Pentecoſtes anni præcedentis fuit deſtituta in brachijs, & pedibus, & in toto corpore ex puerperio, quod non poterat ſe mouere, nec vertere, nec ſedere niſi fuiſſet portata, vel poſita per manus aliorum, & filius, quem genuerat per aliam oportuit nutriri, & lactari, & facto voto, fecit ſe portari ad tumulum Beati Patris, apud quem ipſa in tantum conualuit, quod in craſtinum pedibus ſuis venit iterum ad Sepulchrum tota ſanata, & hæc ſunt in notitia multorum de Vylax, quam maximè in vicinatu illius plateæ piſcatorum.

Con-

Digitized by Google

Contractus in vno pede.

CVius filius paruulus erat contractus in vno pede, & facto voto per eum, fuit rectificatus apud tumulum viri Dei.

Plaga, et facies inflata adeo quod oculi non videbantur.

VRſula vxor Michaelis Gijerſi de Fysligh faſſa eſt coram prædictis auditoribus, & deputatis, quod filius eorum Adrianus nomine ætatis vnius anni cum dimidio habuit talem plagam, & inflaturam in facie, quod vltra menſem non poterant videri oculi ipſius, quem mater deuouit portare ad tumulum famuli Domini, & illuc delatus, paulatim conualeſcere cæpit, & ad paucos dies totaliter ſanus puer effectus eſt ob merita ipſius Beati viri fratris Ioannis, quod teſtificantur omnes habitantes in illa villa Fisligh ſpecialiter venerabilis Dominus Plebanus, cum D. Franciſco Cappellano ſuo, & Ioannes Redicen Auguſtinus Olaam, & Valentinus Laurentij.

Infirmus grauiter, et morbus caducus.

AGatha vxor Demetrij de Petzoy præſtito iuramento dixit, quod filius ſuus nomine Bartolomeus ætatis octo menſium ità grauiter fuit infirmatus, quod per octo dies non poterat vbera matris ſugere, nec aliquo modo ſe mouere propter morbum caducum, quem cum primum deuouit ad tumulum viri Dei deportare, immediatè ſanus factus eſt, quod teſtificatur tota villa Petzoij.

Febri-

Febricitans, et deſperatus de vita.

ELiſabet vxor Elie Redurh de Fiſigah præſtito iuramento coram prædictis teſtibus ad hoc deputatis aſſeruit, quod filius ſuus nomine Petrus ſex annorum patiebatur febres mortales, ità quod amplius non erat ſpes de vita ipſius, facto voto per eam ad tumulum viri Dei illum deportare, ſtatim optimè ſanitati fuit reſtitutus, hoc eſt ad notitiam totius dictę villæ, & ad notitiam Domini Plebani, & Domini Franciſci ſui Cappellani; teſtificantur etiam hoc Ioannes de Redurh, Auguſtinus Olaam ad gloriam Beati Ioannis.

Amens, et fatuus.

SVſanna vxor Michaelis Dobos de Peren præſtito iuramento coram ordinatis teſtibus dixit, quod filius ſuus nomine Thomas vndecim annorum fuit infatuatus per plures dies, adeo miſerabiliter, quod torquens faciebat manibus, & pedibus geſtus inhumanos, & erat ſtupori ad videndum, ſed facto voto per eã ad tumulum Beati Patris fratris Ioannis illum deportare, ſicut fecit, immediatè ſanus, & naturalis ſenſus ei fuit reſtitutus, quod ſcit tota villa prædicta.

Adeo contractus, et conglomeratus, quod per triennium manibus per terram ſerpebat, erigere ſe non valens.

BArbara vxor Iacobi Thoth de villa Ianuffalua præſtito iuramento coram prędictis teſtibus faſſa eſt etiam coram Mattheo filio Blaſij, & coram Margareta vxore Nicolai Bolhtoa, quod filius ſuus nomine Dioniſius ætatis

quat.

Digitized by Google

quatuordecim annorum, totaliter erat deſtitutus, quod ſerpebat extenſus ſuper manus; & pedes, nec erigere ſe poterat, niſi ab alijs iuuaretur, quàm infirmitatem per triennium paſſus fuerat, ſed facto voto ad virum Dei per eam, immediatè erectus eſt ſanè, ac rectè incedens ſicut prius hoc ipſemet iuuenis ritè dicebat, hoc etiam ad notitiam totius villæ Sancti Ioannis.

Paſſa febres acutiſſimas, et liberata.

MAgdalena filia Baſilij ſutoris de prędicta villa pręſtito iuramento coram teſtibus deputatis aſſerebat, vna cum tribus ſororibus aſtantibus, & ſuo fratre, quod paſſa fuit febres acutiſſimas vltra annum, ſed facto voto per omnes prædictos eam deportare ad tumulũ viri Dei, paulatim conualuit, ſed poſtquam ipſa motu proprio ſe voto conſtrinxit ad tumulum viri Dei proficiſci, nunquam amplius à febribus eſt moleſtata. Hoc eſt ad notitiam totius villæ prædictæ.

Orbata lumine oculorum ad tempus, & illuminata.

HElena vxor Bricchij de Vuylax præſtito iuramento corã deputatis ciuibus faſſa eſt, quod vltra annum non viderat; & contriſtabatur, quod non poterat videre Corpus Chriſti in Eccleſia, & voto liberata eſt.

Hydropica inflata, et ſiti inſatiabili cruciata.

HAec eadem mulier ex grauiſſima hydropiſi fuit totaliter inflata, & cruciabatur ſiti inceſſabiliter, quæ cum magna deuotione ſe deuouerit ad tumulũ Beati Patris, & veniens, ſanata eſt ab omni infirmitate, & recupe-

Digitized by Google

rauit viſum, & obtinuit gratiam, & hoc fuit in die Aſcenſionis, & eſt ad notitiam totius villæ.

Caducum morbum patiens per quinque annos.

Eliſabeth vxor Georgij Vuraij de Sahitoleſe prope Satha prꝑſtito iuramento coram deputatis teſtibus, & coram Georgio de Bugh, & Valentino de Porſon, & pluribus alijs de Vuylax dixit, & faſſa eſt, quod habuit caducum morbum per quinque annos in vltimo anno præſenti, ac intra hebdomadam aliquando tribus, vel quatuor vicibus cadebat, & facto voto viſitandi Sepulchrum Beati Patris, fuit libera à prædicto morbo, nunquam amplius vexata ab eo, & veniens ad Sepulchrũ portauit imaginem ceream ſicut promiſit, & ſcit tota villa prædicta.

Paſſa febres varias cum maximò dolore dentium, et à fluxione corporis liberata.

Scolaſtica Michaelis Pijſſrij de Sijlijgh præſtito iuramento coram deputatis teſtibus, & coram iſtis, videlicet Agatha vxore Coſmi, Margareta vxore Blaſij Scartunſij, & relicta Nicolai Thomaſij, dixit, quod filia ſua quam duxerat ad Sepulchrum viri Dei, nomine Catarina annorum tredecim paſſa fuiſſet febres quartanas, poſtea quotidianas cum vehementi dentium ſtridore, & afflictione maxima à Natiuitate virginis Mariæ vſque ad Paſcha, & facto voto per ipſam virginem veniendi ad Sepulchrum rogauit matrem, vt duceret eam illuc, quo cum perducta fuiſſet, immediatè ſanata eſt.

Paſſa

Paſſa febres quartanas duos annos integros.

AGhata vxor Coſmi de Sijſijgh coram prædictis dato iuramento dixit, quod filia ſua quam duxerat ętatis octo annorum nomine Vrſula paſſa fuerat febres quartanas per duos integros annos, & facto voto eam deportare ad tumulum viri Dei perfectę liberata eſt, & amplius à febribus, nec ab aliqua alia infirmitate moleſtata eſt, & hoc eſt ad notitiam totius villæ.

Conſtitutus in articulo mortis, et liberatus.

GEorgius dictus Calmar de Nemethij in diſtantia trium milliariorum à Vuylax præſtito iuramento coram deputatis, & coram Georgio de Eugh, & Andrea filio Gregorij de Vuylax, & Matthia Selano ciue de Vuylax dixit, quod habuit filium paruulum natum in feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli, qui cum eſſet ſex menſium, ità infirmatus eſt vna die Sabbathi, quod iam feria quinta ſubſequente expirabat, dixit autem Mater nomine Eliſabeth ad maritum ſuum: *quid ſumus facturi? Ecce iam filius noſter moritur*: dixit maritus *præpara candelas, quid poſſumus facere contra voluntatem Dei? Verum tamen ſi omnipotens Deus redderet nobis puerum ſanum per merita Beati Ioannis, ad feſta ſanctorum Petri, & Pauli volo eum deportare ad tumulum ipſius*; & facto voto, puer reſtitutus eſt omnimodè ſanitati in inſtanti. Compleuit votum ſicut promiſit, & puer recens eſt ſicut à ventricula.

Deſtitutus in brachio dextero.

MAttheus filius Oſualdi de Peſth præſtito iuramento ad ſacra Euangelia coram teſtibus deputatis di-

xit, quod dexterum brachium ſibi fuit curuatum intantum, quod non poterat tangere os cum illa manu vſque ad duos menſes, & facto voto viſitare tumulum Beati Patris, immediatè ſanatus extitit.

Cæcus factus ex infirmitate liberatus.

IDem poſt ſanationem circa Natiuitatem Domini grauiter fuit infirmatus, perdiditque viſum, ità quod per duos menſes nihil vidit, & facto voto ad tumulum Beati Patris ire, & ab infirmitate, & à cecitate ſtatim liber euaſit.

Deſperata de vita, et vncta Oleo Sacro.

VXor prædicti Matthei infirma fuit taliter, quod iudicio aſtantium non poterat ſuperuiuere, ſed mori ex illa infirmitate, & iam inuncta erat Oleo Sancto, & facto voto ad tumulum Beati Patris, ſtatim conualuit, & priſtinæ ſanitati fuit reſtituta.

Ex infirmitate amens, et fatuus effectus.

FIlius eiuſdem Matthei Ioãnes nomine annorum decem, & nouem ex grauiſſima, & diuturna infirmitate penitus perdidit intellectum, & amens effectus, ità quod cum magna diligentia oportebat eum cuſtodiri, ne ſe Danubium, aut in alium locum præcipitem daret, ſicut pluries tentauit, ac etiam interfeciſſet fratrem ſuum, niſi Pater eum defendiſſet, & trina vice aliquãdo in nocte oportebat Patrem, vel Matrem ſurgere ne abiret, vel aliquid mali faceret, pro quo, facto voto per ipſos ad tumulum viri Dei deportare immediatè ſanitati reſtitutus, ſanum, & priſtinum ſenſum tecepit, manetque ſenſatus iuuenis, &

deuo-

deuotus, atque ſanus, tam in viribus, quàm intellectu. ſit ergo nomen Domini benedictum.

Horribilis Plaga, et lupa voraciſsima.

ALter filius eiuſdem Matthei Emericus nomine octo annorum habebat plagam in ore, quæ dicitur lupa, ſeù cancer, quæ per decem, vel quatuordecim dies interius in maxilla, tam magnũ erat vulnus, quod totius digitus immitti poterat, & facto voto per patrẽ ad tumulũ famuli Dei illum ducere, ſtatim ſanatus integre extitit, omnia iſta idem Mattheus iuramento firmauit, & ſunt ad notitiam multorum in Pectho.

Surdus factus ex infirmitate.

IDem puer paulo poſt grauiori infirmitate grauatus, in qua perdidit penitus auditum, & taliter quod quomodocumque ſibi ad aures clamaretur, non niſi reſpiciendo reſpondebat, indicia manuum, & oris aduertendo, pro quo iterum pater fecit votum ad tumulum Beati Patris, & ſtatim auditum recuperauit integrum.

Agonizans in extremis.

TErtius filius eiuſdem Matthei trium annorum nomine Petrus, ità fuit infirmus, quod iam ad mortem agonizabat, nec ſperabatur ſuperſtiturus in craſtinum Vodos Pater ipſius ſupradicti Matthei cum magno ſuſpirio dixit, ò *Domine Deus, quàm magna ſunt peccata coram te Domine, quod tanta aduerſa veniunt ſuper domum meam, iterum rogo maieſtatem tuam; vt per merita Beati Ioannis reſtituas mihi hunc filium*, quem etiam portauit ad tumulum ipſius Beati Patris iuxtà votum ſuum, & ſanatus

natus eſt: qui quidem Mattheus faſſus eſt omnia hæc coram ciuibus de Vuylax ad hoc deputatis, & coram Ladiſlao Lyčthij, Gillo de Zeuutes, & Ioanne Halmar, & ſunt ad notitiam totius terræ de Peſth.

Non valens ambulare per tres menſes.

ELiſabet relicta Michaelis Raatz de villa Zheuutes præſtito iuramento coram deputatis teſtibus, & coram D. Plebano Martino de Nemthi, ac Gregorio Eugh, & quam pluribus aſtantibus dixit, quod filia ſua nomine Catharina nouem annorum per tres menſes non potuit ambulare, & facto voto ad tumulum viri Dei deportare, immediatè fuit ſanata, & ità verùm quod pedibus ſuis eam conduxit ad ſepulchrũ, ac ſi nunquam nihil mali habuiſſet, quod etiam eſt ad notitiam totius villæ prędictæ.

Non valens loqui, neque audire ex infirmitate.

HElena prouida domina vxor prouidi viri Loſlhi ciuis in Vuylax faſſa eſt conſcientiosè adhibito iuramento, corã ciuibus auditoribus ad hoc deputatis aſtante etiam Ioanne Andica, & multis alijs, quod ipſa habuit peſtilentiam vſque ad triginta ſex dies, ex quo morbo adeo grauata eſt, quod nihil poterat videre, nec audire, neque loqui, quæ recolens inter ſe habere vnum Sudarium, cum quo fuit tactum corpus Beati Patris antequam fuiſſet tumulatum, quod ſeruauerat reuerenter pro ſua deuotione, accipiens illud, cæpit cum maxima deuotione, & cum lachrimis idem oſculari, & cum ipſo ſe ipſam tergere; mirabilis Deus, (quo facto) ſtatim ſanata fuit tam ex viſu, & auditu, quam loquela, & ab omni infirmitate extitit aliena.

Agoni-

Digitized by Google

Agonizans, et laborans in extremis.

DOmina Eliſabeth vxor prouidi viri Ladislai ſartoris ciuis de Vuylax præſtito iuramento coram prædictis teſtibus dixit, quòd à feſto Sancti Georgij, vſque ad feſtum Sancti Iacobi minoris tàm grauiſſima infirmitate oppreſſa fuit, quòd iam totaliter deſtituta agonizabat, & laborabat in extremis tenens in manu candelam ſibi datam benedictam accenſam, vt moris eſt iudicata ab omnibus non ſuperuictura ad horam, quæ cum non poſſet loqui per ſuaſionem aſtantium intra ſe ad Beatum Patrem, vtcumque potuit voto ſe adſtrinxit, & ſtatim conualuit in tantum, quod in craſtinum votum ſuum cæpit, & perfecit.

Febricitans vehementer, et præ Anguſtia non valens ſtare.

EAdem Domina Helena etiam iuramento firmauit coram deputatis, quod habens filium vnum nomine Bartolomeum annorum duodecim longo tempore febricitantem, & etiam vehementer quod nullo modo præ anguſtia eum tenere poterat, aliquo poterat remedio ſubueniri, & facto voto per ipſam ad tumulum viri Dei, mox ſanum filium recepit, & ab omni prorſus infirmitate alienum.

Frenetica, et ſine intellectu, et proxima morti.

EAdem Domina Helena etiam iurauit coram deputatis, quod habuit vnam filiam nomine Agatham per triduum iacentem freneticam, quæ neminem cognoſcebat loquens ſine intellectu, quæ etiam in breui potius mori quàm viuere iudicabatur, pro qua mater voto ſe adſtrinxit viſitare ſepulchrum viri Dei, quo facto

ſtatim

Digitized by Google

ſtatim in ſe reuerſa, & ſanata cæpit petere poma ad comedendum, & infra tres dies ità integrè conualuit, ac ſi nunquam nihil mali habuiſſet.

A grauiſsimo dolore liberata.

EAdem Domina Helena patiebatur in dentibus vehementiſſimum dolorem, adeo quod per tres dies nihil potuit guſtare, nec locum quietum poterat inuenire, quæ ſic cruciata cucurrit ad Sepulchrum viri Dei, vbi facta ſua oratione immediatè dolor abſceſſit, ſanaque, ac læta domum redijt, tali dolore nunquam amplius moleſtata.

Agonizans, & deſperatus de vita, et creditus mortuus.

ELiſabeth vxor Georgij Hener de Peſth præſtito iuramento coram teſtibus ad hoc ordinatis, vna cum duabus vicinis ſuis Vrſula Georgij Melnaar, & Catharina vxore Dioniſij Hirat, dixit quod filius ſuus duorum annorum nomine Demetriuus tam graui, & longa infirmitate preſſus fuerat, quod ſemel reperit agonizantem, & iam totaliter infrigidatum, quæ cum nimio dolore percuſſa cucurrit cum lachrmis ad ſuas vicinas, quæ venientes iudicauerunt puerum eſſe mortuum, nihilominus adhuc pectus eius erat pauliſper calidum, & iam portauerant, & præparauerant camiſciam, vt tanquam mortuum illum inducerent, ſed in tanta anguſtia mater conſiderans tanta miracula fieri per Beatum Patrem fratrem Ioannem illis vicinis præſentibus ſuplex, & cum ſuſpirio fecit votum filium ſuum ad tumulum viri Dei deportare, ſi viuus, & ſanus ſibi reſtitueretur. O mirabilis Deus, vix verba finiuit, & ecce puer reſpirans conualuit, & ſtatim incolumis ſanus recens, & delectabilis extitit.

Agoni-

Agonizans, & laborans in extremis.

CAtarina relicta olim Petri Abram de Vuylax præſtito iuramento coram deputatis teſtibus, & coram venerabili Sacerdote Blaſio de Nemethij, & prouido viro Martino ſartore de Vuylax dixit, quod filia ſua nomine Eliſabeth relicta olim Ioannis Vueres habuit filiam vocatam etiam Eliſabeth ſex menſium patientem febres vſque ad integrum annum adeo continuas, & terribiles, quod iam deuenerat ad extremum vitæ agonizãs per octo dies ſine aliquo alimento, etiam lactis gutta non poterat ſibi infundi, nec poterat cognoſci, vtrum eſſet viua; ſed facto voto ad Sepulchrum viri Dei, & tribus vicibus ea ad illud deportata, integræ ſanitati fuit reſtituta, viuitque incolumis.

Non valens ambulare ex grauiſsima plaga.

AGatha vxor Georgij Pellificis de Harſam propè Vuylax præſtito iuramento coram deputatis, & coram Agatha vxore fratris ſui, coram Martha vicina ſua laterali dixit, quod ità fuit deſtituta in pede dextero per quandam plagam apoſthematis, quod non poterat niſi ſuper manus, & pede greſſum habere: facto voto ad tumulum viri Dei, ſi ſanaretur ire, mox ſanata eſt. Hoc etiam ſcit tota villa prædicta.

Laborans in extremis, et liberatus.

STephanus de Banchij præſtito iuramento coram deputatis teſtibus, & coram Ladislao de eadem, & Mattheo, & Gregorio ſcholare iuuene prouecta ætate de eadem dixit, quod filius ſuus nomine Michael iacuerat in-

firmus per menſem, & eo deuenerat, quod non erat ſpes, vt amplius peruiueret, quem ipſe Pater videns eum in agone mortis cõſtitutum, & in extremis laborantem, cum magno ſuſpirio deuouit eum ad tumulum viri Dei deportare, ſi meritis ipſius ſanitate potiretur, & euaderet à faucibus mortis, quo dicto ſtatim ſanatus eſt, & pedibus ſuis vna cum Patre ſoluerunt votum viſitando Sepulchrum ipſius viri Dei.

Liberatus ab horribili plaga, quę dicitur Lupa.

NObilis quidam Ladislaus de Bumhij vir vtique bonę opinionis, & conſcientiæ præſtito iuramento, vna cum matre, & cum vxore ſua coram deputatis teſtibus coram Luca Panhos, & Domina Anna vxore nobilis viri Blaſij de banchij, & coram pluribus alijs de eadem dixit, quod ipſe habuit quamdam horribilem plagam, quæ dicitur lupa per decem menſes, à qua paulatim caro eius mirum in modum vorabatur, cui peſtifero malo nullum remedium proficuum poterat inueniri, qui recurrens ad merita Beati Ioannis de Capiſtrano, de quo miraculorum fama vagabatur, fecit votum ipſius Sepulchrum de Vuylax viſitare, quo perſoluto optimè, ac mirificè ſanatus extitit.

A grauiſſima, & multiplici infirmitate liberatus.

IDem vir nobilis Ladislaus paulo poſt incidit in infirmitatem grauiſſimam ex qua fuit deſtitutus in manu dextera, & pede, adeo quod non poterat vllo modo ambulare, ſed portabatur cum difficultate in quodam ſedili, neque poterat ſedere, niſi teneretur, iterum facto voto fecit ſe portare ad tumulum Beati Patris, vbi ſanatus integraliter in pede, brachio remanente infirmo, poſt-

quam.

quam reuerſus fuit ad domum ſuam, deſcendens de curru ſtatim ſanatus eſt etiam in brachio ità perfectè, quod nec in pede, nec in brachio aliquam ſenſit poſtea læſionem.

Viſus, et creditus mortuus, reſtitutus.

AGatha vxor Laurentij filij Pauli Behij præſtito iuramento coram deputatis teſtibus, & pluribus alijs dixit, quod filius eius Andreas nomine per ſex annos paſſus fuerat horribilem morbum caducum quolibet menſe; poſtea tempore vindemiarum à feria quinta vſque ad diem dominicam continuè die noctuque validius ſolito, & miſerabilius opprimebat eũ dictus morbus, adeo quod quadã die Dominica inuaſit eum ità vehementer, vt penitus moreretur, & in brachijs matris expiraret, quapropter ipſa mater doloroſa, & amaricata miſit filiam poſt patrem in campum, vt rediret ad ſepeliendum filium: interim cum maximò fletu, & ſuſpirio innocauit D. Ieſum Chriſtum, vt per merita ſerui ſui Beati fratris Ioannis viuificaret filium ſuum, qui iam erat infrigidatus, & nigrefactus ſicut ſolet mortuus denigrari, & immediatè cæpit albeſcere, & oſcitare, & manus mouere, & antequam pater rediret de campo Puer omni ſanitate réuixit, & amplius nihil mali habuit, & hæc proteſtata ſunt in feſto Apoſtolorum Philippi, & Iacobi ante Sepulchrum ipſius Beati famuli Dei, & ſunt ad notitiam totius villæ.

In corpore deperditus, & totaliter deſtitutus ex morbo peſtilentico.

NIcolaus Vualactus de villa Tubaij propè Cerij per duo milliaria coram teſtibus deputatis dixit, quod habuit peſtilentiam tam grauem in parte ſiniſtra in

 hume-

humeris, vt ex eius inflatione, ſiuè tumefactione totum guttur, & pectus, vſque ad ſupercilia erat deperditus:ità quod nõ poterat loqui:& perſuaſus à mulieribus, quod voueret ſe Beato Patri, fecit votum intra ſe: quo facto voto immediatè ſanitati reſtitutus eſt, omni morbo, & inflatione ceſſata.

Liberatus ab horribili morbo caduco.

Eliſabeth vxor Antonij Laurentij de Zeuceles præſtito iuramento coram teſtibus ad hoc ordinatis, & corã Helena vxore Thomæ fabri nec non; Clara relicta olim Emerici filij Clementis, aſſeruit quod filius ſuus nomine Franciſcus annorum octo patiebatur caducũ morbum validiſſimè per tres annos continue, quem deuouit ad tumulum Beati Patris deportare, & ſtatim liberatus eſt, nec amplius vexatus à tali morbo, nec ab alia infirmitate.

Contracta, & manens, vt truncus immobilis, et cęca.

Catarina vxor Stephani de Recs præſtito iuramento coram ordinatis teſtibus, & coram Ioanne Stephano ſartore,& Sophia vxore Ioannis,& Helena vxore Ioannis de Cani, & Margareta vxore Benedicti, omnes iſti pariter dixerunt, quod filia ipſius Catharinæ nomine Dorothea fuit contracta per ſeptem hebdomadas integras manens ſicut truncus immobilis, quæ etiam perdidit viſum, ità quod per quindecim dies penitus nihil vidit, & facto voto per matrem ad tumulum famuli Dei deportare, poſt triduum ſanata extitit in corpore totaliter, ſimiliter, & in viſu.

Grauiſ-

Digitized by Google

Grauiſsima oppreſſa infirmitate deſtituta in manibus, et pedibus.

LAurentius Sutor de Sijbzeegh præſtito iuramento coram deputatis teſtibus, & Catarina relicta Lucæ Toth, & Helena vxore Michaelis, & Benedicto Methos, & coram pluribus alijs de illa villa dixit, quod vxor ſua Catarina nomine à feſto Sancti Andreæ, vſque ad feſtum Apoſtolorum Philippi, & Iacobi fuit grauiſſimè oppreſſa infirmitate, & cruciata continuè die, noctuque ex qua in manibus, & pedibus fuit totaliter deſtituta, nec ſe poterat voluere de vno latere in aliud, nec ſedere, nec ambulare; mater verò ipſius, viſitans Sepulchrum Beati Patris pro ſua deuotione, & recomendans meritis ipſius filiam ſuam, emiſit votum illic ſtando, quod ſi filia ſanitati reſtitueretur quàm citius poſſet, duceret eam ad ipſum Sepulchrum, quo facto, domum repetijt, manifeſtauitque rem filiæ ſuæ, cui dixit filia: *mater mea cariſſima tantum ſentio me alleuiatam, quod ſpero pedibus meis votum tuum implere, quod pro me feciſti Beato Patri*, ſicque de die in diem filia melius ſe habens ad octauum diem integraliter ſanata eſt, & votum pariter impleuerunt.

Arida, et deſiccata, ac viribus totaliter deſtituta.

VRſula vxor Andreæ Bathas de Curſtha præſtito iuramento, cum matre ſua Helena coram auditoribus ordinatis, & coram Ioanne Apothecario, Benedicto de Gaza, & Michaele de Reats ciuibus budenſibus, & vxoribus eorumdem, & coram Vrſula relicta Ioannis Goroh vicina prædictæ Vrſulæ, & coram Petro fratre eiuſdem, & coram innumerabili multitudine dixit, & aſſeruit, quod à cin-

a cingulo infra fuerat deſtituta, & ſiccata, & tamquam truncus, aut lignum per quatuor menſes extiterat, nec poterat ſe vertere de vno latere in aliud, nec poterat egredi lectum, niſi portata, & leuata ab aliis, quæ in tanta anguſtia poſita inuocauit Dominum Ieſum Chriſtum, vt per merita Beati Ioannis dignaretur eam reſtituere priſtinæ ſanitati, & vna cum matre deuouit ſe viſitare tumulum eius, quo facto, ſtatim integræ reſtituta eſt ſanitati, & votum ſoluerunt pariter cum maxima deuotione.

Ex inflatione faciei cęcus, & liberatus.

BEnedictus Sutor de Hiuceliud præſtito iuramento coram deputatis ciuibus, & coram iſtis mulieribus videlicet vxore Demetrij magni, & vxore Ladislaij Biaſij de eodem oppido, & coram relicta Ioannis Tagus, dixit, quod filius ſuus nomine Ladislaus trium annorum per inflationem faciei omnino non potuit videre pluſquam per duos menſes, cui nullæ medicinæ adhibitæ proficiebant; tandem pater deuouit eum ad tumulum Beati viri Dei deportare, quo voto adimpleto, de tumulo ipſius Beati ad domum puerum ſanum, & illuminatum reportauit, ſicque manet vſque ad præſens per merita Beati Ioannis fideliſſimi ſerui Ieſu Chriſti.

A febribus vehementiſsimis liberatus.

ELena vxor Petri Ioannis de Achia præſtito iuramento coram deputatis teſtibus dixit, quod filius ſuus nomine Benedictus paſſus fuerat febres vehementiſſimas quotidianas à tempore vindemiarum, vſque ad Dominicam Palmarum, miſſo voto per eam, ac eo ad ſepulchrum de-

delato, ſanum, & liberum de ſepulchro ad domum reportauit.

Miſerabiliter contracta, & reſtituta. et liberata.

ELena relicta Iacobi de Vuaradino præſtito coram ciuibus ad hoc ordinatis, & coram magnifica domina Barbara vxore magnifici Domini Pauli de Sambox vna cum filia ſua Catarina deſponſata magnifico domino Ladislao Gesth, & coram relicta domina Catarina magnifici domini Sambox matre dictæ Barbaræ dixit etiam coram nobili viro Benedicto de Tranſiluania famulo dictæ dominæ, quod non poterat ambulare; ita erat deſtituta in ambobus pedibus, atque contracta, nec etiam cum genibus valebat ſe trahere per terram, neque ſuper manus, & pedes, niſi fuiſſet portata per alios, & hoc à feſto Sancti Iacobi vſque ad natiuitatem Domini, & à natiuitate vſque ad Paſcha ambulauit cum duabus ferulis, & facto voto ad tumulum viri Dei, ac perſoluto totaliter, & integrè ſanata eſt; ita quod currendo per Eccleſiam coram prædictis, & multis alijs, ſanata redijt domum dimiſſis ferulis ad tumulum in ſignum gratiæ acceptæ.

Paſſus horribilem morbum caducum.

LAdislaus Bogar de Zegdino præſtito iuramento coram deputatis teſtibus, & coram fratre Iacobo Dalos de Zegdino, & Mattheo Dul de eodem, & Helena relicta olim Ladislai dixit, quod à iuuentute ſua, vltra quadraginta annos paſſus fuerat morbum adeo horribiliter, quod aliquando tribus vicibus, aliquando quinquies cadebat in die, extractus aliquando de puteo, aliquando de igne, & audita fama miraculorum Beati Patris in Vuylax, quæ vigebat per totum regnum, deuouit ſe ad tumulum ipſius

Digitized by Google

ipſius Beati Patris in Vuxlax viſitare, quo facto, & adimpleto, nunquam ab ipſo morbo fuit amplius moleſtatus, redijtque ſanus cum gratiarum actione.

Priuata lumine oculorum, et mirabiliter ſanata.

CLara vxor Stephani de Baray habitans in villa de Sancta Catarina in comitatu Bachienſis ſub domino Baltazar Creta, vna cum marito ſuo præſtito iuramento coram ciuibus deputatis, & coram Andrea Hazaz, & Egidio Vaijua dicto, Margareta relicta olim Ioannis in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Vuylax, in qua eſt ſepulchrum Beati Ioannis, & innumerabili multitudine dixit, quod fuit priuata amborum lumine oculorum per ſpatium medij anni, & voto facto viſitare ſepulchrum Beati Patris, ac ducta per manus ſui mariti, & eius filii ſtatim, quod venit ad ipſum ſepulchrum, caligines oculorum, & tenebræ in tantum diſceſſerunt, quod videbatur ſibi quaſi ſtella lucida in 1. circuitu tumuli, 2. magis illuminata eſt, 3. autem circuiens cum deuotione ipſius ſepulchrum plenè, & perfectè, & integrè illuminata eſt ita clarè, ſicut aliquis naturalitèr dicitur clarè videret, quod fuit in die Aſcenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti anni 1458. pro quo tam magno miraculo fuit maxima lætitia in populo cum magno ſono campanarum. Sit benedictus ille, qui per ſeruum ſuum ſoluit compeditos, & illuminat cæcos.

Priuata lumine vnius oculorum, et illuminata.

CAtarina relicta Galliſotta de comitatu Bachienſi in Peſth expoſito Vuilax prȩſtito inramento cum matre ſua Vrſula coram teſtibus ad hoc ordinatis, & coram Barnaba dicto Hemeth, & coram Eliſabeth relicta Ioannis Barba, & Margareta relicta Andreæ Sartoris dixit, quod

Digitized by Google

quod fuit in vno oculo penitus cæca albugine contecto per tres decim hebdomadas omnino nihil vidẽs ab eo, & facto voto viſitare ſepulchrum Beati Ioannis poſt trinam circuitionem ſepulchri integro lumini fuit reſtituta albugine ſtatim diſparente, & ita claros habet oculos tanquam nihil mali in eis habuiſſet.

A caduco morbo liberatus.

IAcobus de Putazenth Michol cum fratre ſuo Georgio, & cum vxore ſua Helena preſtiterunt iuramentum coram deputatis teſtibus, & coram Georgio Eughye, & coram Nicolao Theuureh, morbum faſſi ſunt, quod filius eorum nomine Ioannes habuerat caducum morbum horribiliter continuè tribus annis, & facto voto ad tumulum viri Dei illum deportare, ceſſauit morbus prædictus taliter, quod ab illa hora impoſterum nunquam amplius habuit, & defluxit annus.

Ex longa infirmitate inflatus, et reſtitutus liberatus.

STephanus vir nobilis de Chepehis in diſtantia ſeptem milliarium ab Vuylax preſtito iuramento coram ſupradictis teſtibus, & coram ſtrenuo milite Ladislao de Hatha, coram nobili viro de Eueh, & coram Simone ſacerdote rectore altaris Sanctorum Philippi, & Iacobi de Vuylax, aſſeruit, quod per octo annos continuos paſſus fuerat grauiſſimam infirmitatem, poſtea circa natiuitatem Domini noſtri anni 1458. ita deuenit inflatus in toto corpore, quod non poterat ambulare, nec mouere ſe de loco, niſi leuatus, & portatus fuiſſet ab alijs, cui nullæ medicinæ, nullaque remedia ſubueniebant, immò magis, ac magis dies in inflatus, & magis deſtitutus deueniebat, hic audiens famam de miraculis, quæ Deus faciebat per merita

F Beati

Digitized by Google

Beati Patris fratris Ioannis, audienſquè famam deuotionis, & magnam confluentiam, quæ erat ad ipſius Tumbam, voto & ipſe ſe conſtrinxit, ſi ſanaretur ſepulchrum Beati ipſius viri viſitare, ò mirabilis Deus in ſanctis ſeruis ſuis, ſtatim facto voto, integrè ſanatus extitit, ambulans ſuis pedibus, quocumque vult, & omnis infirmitas ab eo euanuit, & ceſſauit inflatio.

Cęcus ab vtroque ex infirmitate liberatus.

VIr nobilis de Ricch præſtitit iuramentum firmiſſimum coram deputatis viris, & coram omnibus proximè ſupradictis dicens, quod in vigilia natiuitatis Domini dum eſſet in prandio cum familia domus ſuæ repentè venit ſibi talis infirmitas oculorum, & ita in breui creuit quod cæcus penitus ab vtroque oculo factus eſt, non valens ambulare, neque in domo, neque extra ſine ductore, qui, vt votum emiſit, viſitare ſepulchrum viri Dei ſtatim ſanus factus, lumen recepit perfectiſſimum, & perfecit votum, veniens per diſtantiam milliarium 33. Vngaricalium.

Caduco morbo laborans decem annos, et liberata.

VRſula vxor Galli Banchy præſtito iuramento coram deputatis, & coram nobili viro Ladislao de Banchy aſtante etiam innumerabili multitudine populorum dixit, quod habuit morbum caducum per decem annos continuos, verùm per triennium validius, ac frequentius ſolito ab illo affligebatur, quæ faciens votum circa carnis priuium anni 1448. tumulum viri Dei deuotè viſitare. mox ſanata eſt, non amplius vexata.

A ve-

Digitized by Google

A vehementiſsimis, & diuturnis febribus liberatus.

LAurentius de Nagherij, vna cum vxore ſua Eliſabeth præſtito iuramento coram deputatis ciuibus, cum quibus etiàm iurauerunt vicini eorum videlicet Georgius Thoth, & Thomas Thot, & Martinus Thot, quod ipſe Laurentius habens filium ſeptem annorum patientem vehementiſſimas febres quartanas per integrum annum, demum tertianas, facto voto illum ad tumulum viri Dei deportare, & adimpleto, incolumem, atque liberum ab omni infirmitatis moleſtia, de Sepulchro ad Domum ipſe cum ſua vxore reportauerunt, cum gratiarum actione.

A caduco morbo, & à multiplici infirmitate liberatus.

LVcas ſugija de Zatha præſtito iuramento coram teſtibus deputatis, vna cum vxore ſua Eliſabeth dixit, quod eorum filius nomine Matthias quatuor annorum fuit grauiſſimo morbo caduco per medium annum die noctuque vexatus, ex quo adeo conſumptus erat, quod eius brachia, & pedes erant ità deſiccata, quod nullo modo poterant flecti, aut curuari, manus etiam eius ità erant clauſæ ex dicta deſiccatione, quod nullo modo poterant aperiri ſine læſione, oſque eiuſdem ità erat clauſum, quod non potuit diſiungi etiam cum cultello per duodecim hebdomadas, ſed nutriebatur ſtillicidio lactis, vel vini, vel aquæ inter dentes, nec fuit locutus per duodecim hebdomadas, & iam collum curuatum habebat ad ſcapulas, & ità conſtrictum, quod putrefactum erat ex illa connexione, & ſtrictitudine, tum etiam ex continua ſquanie, vel alterius liquoris emiſſione ex ore, eratque ità in extremis. Parentes autem eius omni alio remedio deſtituti ad merita Beati Patris Ioannis recurrunt, & deuotè, ac lacrimabiliter

Digitized by Google

biliter deuouerunt illum ad ipſius tumulum deportare, & ſic taliter puerum oppreſſum deportauerunt in capiſterio ad tumulum per tria milliaria, & prima vice circuiẽdo Sepulchrum, aliquantulum puer conualuit: ſecundario verò ſtatim ſanatus eſt in omnibus ſuis membris, & cæpit loqui, & petijt piſces ad comedendum, quod miraculum tam ſtupendum fuit in feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli 1457. qui puer optimè ſanitati reſtitutus fuit, & recens puer effectus, quod eſt dilectio ad videndum eum cum dictis parentibus coram prædictis teſtibus de hoc præſtiterunt iuramẽtum Elgas Horas, Dominicus Molendinator, Philippus Faber, & Simon Ruri faber adſtantibus, & præſentibus magnifica Domina Eliſabeth vxore quõdam franch, & filio eius Georgio, & Laurentio Oranam magiſtro curiæ dictæ Dominæ, ac etiam aſtante multitudine populorum, qui venerãt ad ipſum Sepulchrum, hoc etiam tam ſtupendum miraculum teſtificatum, & publicatum fuit coram toto populo in ambone apud ipſum Sepulcrum feria tertia, poſt Pentecoſtes 1458. de quo fuit maxima lætitia, & gaudium omni populo cum pulſatione campanarum, & cum clamore maximo ad glorioſum Deum, qui tam excellenter mirificat ſeruum ſuum fideliſſimum.

Arida lumine carens oculorum, & balbutiens.

MArgareta vxor Nicolai parui de villa Heroztum Zentmihal præſtito iuramento, coram teſtibus ordinatis vna cum viro ſuo, & coram Valentino HeleK, & eius vxore Margareta, & multis alijs dixit ſupradicta Margareta, quod ipſa fuit deſiccata in gambabus, manibus, & pedibus, & quod præ nimia, ac continua infirmitate erat lumine oculorum priuata adeo, quod quaſi nihil videbat, quæ cum eſſet in tanta anguſtia poſita, cum magna deuotione

tione

tione vouit ire ad Sepulchrum viri Dei, & circuiens illud ſanata eſt integrè, & perfectè in omnibus membris ſuis, & in oculis, quæ etiam fuerat impedita in lingua, & ità erat balbutiens, quod nullo modo poterat intelligi, & ſanata etiam extitit in lingua, vt prius loquens in illo inſtanti, de quo etiam miraculo fuit maxima lętitia in populo.

Infirmus, inflatus, & agonizans freneticus.

FAbianus Licuuer de platea Nislonezas in Vuylax ſita vna cum vxore ſua Helena præſtiterunt iuramentum coram teſtibus deputatis, quod ipſe Fabianus vſque ad mortem fuit infirmatus ex quodam vehementi pectoris dolore, ſic in illo tempore vigebat talis dolor in multis perſonis, cui pectus ità inflatum fuit, vt ex illa inflatione maximè fuerit aggrauatus, adeoq; tandem cæpit freneticari, & priuari intellectu, vt ſicut moriturus cæperit agonizare, hoc autē videns vxor ſua flexis genibus, cum fletu maximo inuocauit Beatum Patrem, orans eum vt dignaretur intercedere pro marito ſuo apud Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum, ne moriretur, qui ſtatim in ſe reuerſus cæpit conualeſcere, & iuxta votum vxoris famuli Domini Sepulcrum viſitauit, & in momento totaliter ſanatus eſt, quàm infirmitatem per decem hebdomadas habuerat.

A morbo caduco, et ab alijs infirmitatibus liberatus.

IDem Fabianus iurauit coram prædictis teſtibus, quod habuit vnum filium quatuor annorum nomine Nicolaum patientem terribilem morbum caducum, quem ità ille morbus afflixerat, quod guttur eius, & facies erant inflata, oculoſque ità tumefactos habebat, vt duo oua viderentur, qui oculi præ nimia tumefactione non videbantur,

Digitized by Google

tur, quæ infirmitas per octo dies durauerat ſibi, quem ſimiliter illa deuota mulier mater ſua Helena deuouit ad tumulum viri Dei deferre, quo voto completo ſanatus eſt, & recens, ac delectabilis puer eſt ad videndum, laus illi ſit, qui ſanat omnes infirmitates per ſeruum ſuum.

Febricitans patiens morbum caducum, cęcus in vno oculorum, et deſperatus de vita.

PEtrus Turuz de platea Sancti Ladislai vna cum vxore ſua Catarina præſtitit iuramentum coram deputatis, & coram Valentino Gubas, cum coniuge ſua Magdalena, & coram multis adſtantibus, & dixit quod filius ſuus nomine Lazzarus ætatis duorum annorum paſſus fuerat febres à natiuitate ſua, & caducum morbum à Natiuitate Domini vſq; ad feſtum Sancti Georgij, cui etiam præ nimia infirmitate in vno oculorum cæcitas ſuperuenit, ipſo albagine contento ità, quod iam Pater deſperatus de illo totaliter conſumpto, & deſtructo, dicebat aliquando vxori ſua nullam curam habeas amplius de iſto puero, quia iam quaſi mortuus eſt, melius eſt, vt citius moriatur, quam ſic cum tanto dolore continuè torqueatur, loquens tanquam deſperatus. Vicini etiam eius qui aderant nullam ſpem habebant, vt puer conualeſceret, immo eis videbatur, quod eſſet in procinctu moriendi, ſed videntes, & audientes parentes mirabilia, quæ operabatur Deus per ſeruum ſuum deuouerant puerum ad ipſius tumulũ, cum cerea imagine deportare, ò mirabilis Deus in ſeruo ſuo fideliſſimo; quod, voto emiſſo, ſtatim puer ſanatus eſt ab omni ſua infirmitate, à caduco morbo, & à cæcitate, albugine illa diſparente, manetq; ſaniſſimus, & recens.

Digitized by Google

Ex vehementiſsimo dolore cruciata, & morti vicina.

ELiſabeth vxor Egidij Antalfij dictus de Zepor præſtito iuramento coram teſtibus deputatis, & coram Suſanna vxore Egidij, & Barbara vxore Stephani Tomaſij dicti, & Margheretа vxore Michaelis Benedicti de eodem dixit, quod per quindecim dies fuit in pectore vehementiſſimo dolore cruciata, & oppreſſa, ita quod nihil poterat deguſtare, nec deglutire, & ad tantum deuenerat, quod vicini iam deſperauerant de vita ſua, qui facto voto ad tumulum viri Dei cum deuotione magna, immediatè ſanatus eſt, & manet incolumis.

In articulo mortis conſtituta, & agonizans.

VAlentinus Saghyas de Gyen in diſtantia viginti milliariorum, à Vuylax vna cum vxore ſua præſtito iuramento coram teſtibus ad hoc deputatis, dixit quomodo habuit vnam filiam nomine Barbaram, cui mater nomine Helena dedit corticem oui ad ludendum, quæ ex inſipientia puellari proiecit ſibi in os, quandam particularem illius corticis, quæ ità in gutture ſibi obſtitit, quod nec poterat illam eijcere, nec deglutire, ſtetitque ſic per integram hebdomadam, nec vbera matris ſugere, nec aliquid deglutire valẽs: Ex quo erat in articulo mortis conſtituta agonizans in extremis, & nigrefacta tanquam mortua; adeout omnes, qui ad hoc concurrerant, dicerent matri ne ſe affligeret de morte, quod iam non eſſet remedium, & conſolabantur eam, quę mater doloroſa recurrens ad merita Beati fratris Ioannis in tanto dolore poſita conſtrinxit ſe voto illam filiam ad ipſius Sepulchrum deportare, & voto emiſſo, ſtatim particula illius corticis totaliter exiuit de ore puellæ, & integrè liberatam parentes

Digitized by Google

eius ſtatim deuouerunt illam ad tumulum viri Dei deportare, ſicut fecerunt cum gratiarum actionibus Deo, & Beato Patri.

Contractus miſerabiliter in pede.

IOannes Magnus de Ehed vna cum vxore ſua præſtito iuramento coram deputatis hominibus, & coram Anna relicta Ioannis Thot, dixerunt, quod habebant filium nomine Lucam miſerabiliter contractum in ſiniſtro pede, ità quod cum pedita, ſeù planta vix poterat tangere terram, ſed gradiebatur ſuper manus, & genua, qui deuouerunt eum ad tumulum viri Dei deportare, & mox facto voto integraliter ſanus effectus remanſit erectus, ſicut nunquam aliquam contractionem habuiſſet, hæc recitata ſunt, & iuramento firmata apud ipſum Sepulchrum in feſto D. Ioannis Baptiſtæ 1458.

Plaga, et incurabilis ſanata mirabilitèr.

VXor Ladislai Heus Agatha nomine de villa Sadogazzonteleк in diſtantia, ſex milliarium à Vuylax præſtito iuramento coram deputatis teſtibus, & coram Helena relicta Sebaſtiani Sauoly; & vxore Benedicti Caſſoij nomine Eliſabeth, dixit quod habuit in vbere dextro per decem annos continuos quoddam vlcus horribile vnde ſuperfluebat plaga incurabilis, & inſuportabilis ſibimet, non tantum alijs, qui horrebant cum ea ſtare propter fætorem, & propter horribilitatem plagæ, quam plagam obturabat cu panniculis, & bombice, & nihilominus inceſſanter ſanies putrida, & fætida defluebat, cui tali peſtifero malo nullum remedium valebat, ſua flebili anxietate, & ſuſpirio deuotiſſimè ſe deuouit ad tumulum viri Dei ire Sabbatho ante Pentecoſtem anni 1458, & ſtatim facto

voto

Digitized by Google

voto ſic ſanata extitit, ac ſi nunquam ibi malum habuiſſet, quæ in feſto ſancti Ioannis Baptiſtæ anni eiuſdem, completo voto, ipſa mulier ante Sepulchrum gaudiosè, cum gratiarum actione recitauit.

Orbata lumine vnius oculi.

BLaſius SarKezi de Fijſegh vna cum vxore Margharetа, & cum vicinis ſuis præſtito iuramento coram teſtibus deputatis, & coram Alberto Georgij Thot dixit, quod habens vnam filiam annorum trium totaliter obcęcatam in vno oculo præ nimia infirmitate facto voto ad Sepulchrum viri Dei, e Sepulchro filiam plenè illuminatam ad domum reportauit, cum gratiarum actione.

Deſperatus ab omnibus de vita.

IOannes Sellator de Themeſnar præſtito iuramento coram ſæpè dictis dixit, quod filius ſuus Philippus nomine octo annorum ità grauiter infirmus fuit, vt ad iudicium omnium illum videntium, non eſſet ſpes amplius de vita ſua, qui vna cum vxore ſua lachrimabiliter illum deuouerunt ad tumulum viri Dei deportare. *O mirabilis Deus in ſancto ſuo*; quo voto emiſſo, mox puer extitit ſanus, & incolumis, & petijt, vt mater daret ſibi ad comedendum, manetque nunc recens, & delectabilis, hoc etiam ſcit tota villa.

Conſumpta ex plaga voraciſſima, quę dicitur lupa, et iacẽs tanquam mortua, et ſanata mirabiliter.

ELiſabeth relicta Nicolai Zeles de Huylax in platea Hiſtrolonoras habitans præſtito iuramento coram

ad hoc ordinatis, & coram Eliſabeth vxore Stephani de Zenthynan, & Agatha vxore Andreæ Laltos, Agata vxore Benedicti Rechtres, & pluribus alijs vtriuſque ſexus; dixit ipſa Eliſabeth, quod ante Purificationem Virginis Mariæ incidit in quamdam infirmitatem, quæ dicitur lupa, quæ adeo vorauerat carnem, quod erat abominabile ad ſtandum cum ea, iam carne ſua ſicut de pecore vſque ad oſſa in magnis petijs, & fruſtris putrefactis à parte poſteriori à cingulo infrà, quæ pars erat totaliter conſumpta, & vocata ab illa incurabilis plaga, & iam mulieres timebant, & abhorrebant incidere tàm magnas petias: caroque femoris ſeparata iam erat ab oſſibus ex illa voragine adeò, quod cum manibus ipſam carnem ſubleuantes reſpiciebant inter carnem, & oſſa ſicut in quadam ſpelunca, & præ nimio fætore, & horrore iam ſpernebatur, & nemo poterat ſibi amplius appropinquare propter putredinem & ſaniem, & continuò multæ plagæ, & foueæ hinc inde ſupercreſcebant, quæ iam tanquam mortua iacebat, ità quod per quindecim dies non eſt locuta, mulieres autem non habentes ſpem de remedio, perſuadebant ſibi, vt ſe recomendaret ad Beatum Patrem fratrem Ioannem, qui tantis coruſcat miraculis, quæ intra ſecum magno ſuſpirio, & magna fiducia, atque deuotione ſe deuouens, & recomendans ad ipſum Beatum fratrem ſicut poterat, nutu, & ſignis manuum, & oculorum, mirabile certè, ſtatim vt infrà ſe votum fecit, fuit locuta, & mirabiliter alleuiata tantum, quod in paucis diebus illa plaga tam horrenda perfectiſſimè, & integerrimè priſtinę ſanitati reſtituta, quę non minus iudicatur, quàm ſi à morte fuiſſet reſuſcitata.

Grauis infirmitas in manibus per tres annos.

HElena vxor Stephani hyſpan de Simelchen ex oppoſito, præſtito iuramento coram deputatis, & eſt

ad

Digitized by Google

ad notitiam totius villæ dixit, quod in puerperio obuenit ſibi talis infirmitas, quod ambæ manus ſuæ fuerunt ſibi contractæ, & inflatæ, ac mirabiliter curuatæ, adeò quod nihil poterat, cum illis facere, nec puerum gubernare, quæ, infirmitas ſibi durauerat per tres annos continuos, quæ adhuc Beato Patre viuente, fecit votum viſitare ipſius præſentiam, & ſtatim conualuit, quod omnia ſua operat poterat, & quia non potuit ipſum Beatum Patrem viſitare viuentem, poſt mortem viſitauit ipſius Sepulchrum, vbi plenè, & integrè ſanata eſt, cuius digiti manus, qui erant aridi, & contracti, extenti, ſiue extenſi ſunt, & effecti flexibiles, & viuaces ſicut prius ante infirmitatem fuerant, hoc miraculum fuit ante ipſum Sepulchrum coram magna populi multitudine.

Deſtitutus in vno latere, et patiens fluxum ſanguinis per annum.

VAlentinus de Zegdino reſidens in Vico Zombathel præſtito iuramento dixit, quod per integrum annum grauiſſima fuit oppreſſus infirmitate, ità quod de vno latere in aliud nequaquam poterat, niſi per alium fuiſſet volutus, portatus, erectus, ac depoſitus, qui etiam patiebatur fluxum ſanguinis inceſſanter per integrum annum, à quibus nullo remedio poterat liberari, ſed audiẽs de miraculis ſtupendis, quæ Deus operabatur per merita Beati Ioannis de Capiſtrano, & de continuo populorum concurſu ad ipſius Sepulchrum in Vuylax, emiſit votũ ipſum Sepulchrum viſitare. O mirabilis Deus in ſeruo ſuo, tertia die à voto emiſſo, integrè, ac perfectè ità ſanatus eſt ab omnibus ſuis prædictis infirmitatibus, vt nihil mali vnquam habuiſſe videretur, & hæc ſunt ad notitiam multorum in Zegdino, qui maximè in dicta platea ſignanter

hoc confirmant ipſius vicini, videlicet Clemens Zayus; Petrus ChyKas, & Stephanus IamashoK, hi ſunt vicini eius collaterales.

Infirmus in toto corpore, & deſtitutus iacens.

MArtinus de Vuylax coquus D Laurentij iudicis curiæ magnifici D.N. Vayuodæ totaliter deſtructus & deſtitutus erat à vertice capitis, vſque ad plantam pedis, nec erat in eo pars ſui corporis ſine dolore; maximè deperditus in ſiniſtra parte, quod nec de lecto poterat exire nec reuolui ſine adiutorio aliorum per ſex menſes, tandem ſuper duos baculos, aut ferulas attentauit viſitare ſepulchrum Beati Patris, & non potuit, ſed fuit per alios deportatus, qui cum circuiret ſepulchrum ſtatim ſanatus fuit, & ſuis proprijs pedibus ſine aliorum adiutorio redijt ad domum domini ſui integrè ſanatus dimiſſis ferurulis ad dictum tumulum in ſignum adeptæ ſanitatis; cui teſtimonium faciunt quamplurimi, præſertim dictus iudex curiæ dominus Thomas Banus in Achonienſi, Guido Italicus de Aretio, & Stephanus Caſtellanus in Vuylax, & quamplures alij, ipſe etiam hoc iuramento firmauit.

Grauiſſimè infirma, loqui non valens, & deſperata de vita.

BArbara vxor Galli de Zatha præſtito iuramento coram deputatis teſtibus, vna cũ vxore Valentini Sartoris nomine Clara, ac relicta Eliæ Maluan nomine Margareta dixit, quod inciderat in grauiſſimam infirmitatem, ita quod per duas hebdomadas loqui non potuit, nec ſurgere de lecto, nec comedere, & iam omnes erant deſperati de vita ipſius, quæ inter ſe faciens votum viſitare ſepulchrum

chrum viri Dei, dicens in corde ſi non poſſum prędeſter tranſire per manus, & pedes ſerpens ad illud ire conabor, & illud deuotè viſitare, talia ea cogitante, ac corde dicendo, incontinenti cæpit loqui, & appetitum comedendi habens comedere petijt, quartaque die pedibus ſuis ad tumulum viri Dei deuotè cucurrit, quæ ſunt etiam ad notitiam totius villę.

Infirma per quatuor annos, et patiens fluxum ſanguinis.

CAtharina relicta Petri de Zegdino de platea Sancti Petri præſtito iuramento coram teſtibus ad hoc deputatis, vna cum vicina ſua Barbara vxore Celees dixit, quod iacuit grauiſſimè infirma per tres annos, duobus autem annis habuit fluxum ſanguinis continuè, quæ iam tantum defecerat, quod nec videre, & etiam penè conſumpta erat, quæ cum flebili ſuſpirio inuocauit Beatum Patrem fratrem Ioannem, promittens, quod libenti animo viſitaret tumulum, & corpus ſuæ Beatitudinis; quo dicto, mulier mox conualuit, & in paucis diebus integrè ſanata eſt omni infirmitate, impedimento carens, & votum ſuum compleuit cum maxima deuotione, recitans hæc coram maxima populi multitudine cum gratiarum actione, & cum exultatione lachrimabili ad laudem Dei, & ſerui ſui.

Patiens vehementiſſimas febres, et liberata.

ELiſabeth vxor Dominici Georgij vna cum relicta Fabiani Eghazzes pręſtito iuramento dixit, quod filia ſua ſcilicet ipſius Eliſabeth nomine Catharina decem annorum habuit febres vehementiſſimas tertianas, poſtea quar-

quartanas à feſto Sancti Iacobi, vſque ad Pentecoſtem, & facto voto pro ea per matrem ad ſepulchrum viri Dei illā deportare, ſtatim dimiſſa eſt à febribus.

Demoniata, mirabili curata via.

AGnes vxor Nicolai Ruſæ de BathaKa cum fratre ſuo Antonio BathaKae, Stephano Zourgy, Ioanne Dĕtri de Scintha, & etiam Thoma de Scintha omnes iſti præſtiterunt iuramentum coram teſtibus deputatis dicentes, quod ipſa agnes fuit demoniata per annum, pro qua vir eius, & fratres fecerunt portare ipſam ad tumulum viri Dei, vbi tanta fiebant per merita ipſius mirabilia ab omnipotenti Deo, & depoſita in curru, & arrepto itinere verſus ſepulchrum, cum eſſent in quodam campo illa cæpit voce diabolica altiſſima proclamare, raucæ dicendo: *nolo nolo ire vllo modo ad ſepulchrum illius monachi*, & ſic talia replicando fecit tantum ſtrepitum, & impetum, quod currus in illo plano campo totaliter diruptus, & confractus eſt: tunc mulier naturali voce clamauit cum lacrimis dicens: *Ecce iam ſum liberata per gratiam Dei, & illius Beati Patris fratris Ioannis*, & monſtrauit, quod de digito minori pedis ſui exierat malignus ſpiritus, tunc ducentes eam videntes digitum pedis, in quo apparebat veſtigium, ſeù vulnus, quantum eſſet lenticula, inde cruore affluens, admirati ſunt, & gratias egerunt meritis Beati Ioannis, nihilominus duxerunt eam ad ipſius tumulum, redieruntque ad domum lætiſſimi; hæc, quæ dicta ſunt, Pater eius Stephanus, & frater eius Ioannes, cum ſuprapoſitis plenius, & mirabilius exponunt.

A mor-

Digitized by Google

A morbo caduco adeò conſumpta, quod erat morti proxima.

NObilis vir Blaſius Hurtij ex oppido Vuylax vna cum coniuge ſua nomine Suſanna præſtito iuramento coràm teſtibus deputatis, coram Ioanne ZeKines, & Stephano magno de Zegdino dixerunt, quod filia eorum nomine Catharina adhuc viuente Patre Beato, ex caduco morbo conſumpta iam erat in extremis, adeo quod nulla ſpes erat amplius de vita ſua, pro qua iam fecerant parare candelas pro ſepultura, & exequijs ipſius puellæ; mater autem fiduciam habens in meritis Beati cum ſuſpirio, & anxietate vouit, quod ipſo Patre veniente ad partes ipſius immediatè vellet ipſam filiam ad ſuam præſentiam deportare, & ſuæ paternitatis præſentiæ offerre, hæc matre vouente, puella vicina morti incontinenti oculos aperuit, & immediatè melius ſe habuit, & in paucis diebus integrè ſanata eſt, & priſtinæ ſanitati reſtituta, venientes poſtea ad ſepulchrum hęc cõſcientiosè retulerunt ad laudem Dei, & Beati Ioannis de Capiſtrano.

De periculo partus, et facilitate pariendi.

EAdem Suſanna conſcientiosè, & cum iuramento fatetur, quod bina vice paſſa fuit abortiuum in partu ex ſiniſtra, & peruerſa parturitione, videlicet quod fætus cum pedibus exibat, & ſic perebant abſq; baptiſmo pueri nati mortui; quæ iam tertio in ſimili periculo laborans, cum magna deuotione, & fiducia inuocauit Beatum Patrem, & iam puer exierat cum pedibus, vt iam prius. Mirabilis Deus ſtatim vt ſe recomendauit Beato Patri, puer intrauit in vterum, & reuolutus cum capite exiuit natus

more

more naturali, qui viuit adhuc recens, & delectabilis ad laudem Dei, & Beati Ioannis de Capiſtrano.

Habens brachium aridum, et deſiccatum.

IOannes Boncesij de Nagyulg prope Poſoga præſtito iuramento coram deputatis teſtibus, vna cum ipſis videlicet relicta Ioānis Raact de Fecahegij, Benedicto Candenſi, D. Michaele de Sancto Benedicto, ac Paulo ZoKy ciue de VilaK dixit, quod ipſius Ioannis brachium fuit totaliter deſiccatum, ità quod nullo modo poterat flecti vel curuari, nec manum ad os ponere valebat. Hic cum deuotione ſe comendauit Beato Patri deuouens ſe ipſius tumulum viſitare, & ſtatim ſanus factus eſt.

Obcęcata in vno oculorum per annum.

CAtharina ſoror prædicti Ioannis vxor Ladislai Ezobonſij de Handenſi iurauit corā prædictis teſtibus, quod filia ſua paruula fuit in vno oculorum totaliter obcæcata per vnum integrum annum, quam poſtquam deuouit ad tumulum viri Dei deportare, mox fuit illuminata.

Contractus in vno pede, et in vna manu.

NIcolaus Nonem de Obnoncha iuramento præſtito coram deputatis in præſentia iſtorum ciuium, videlicet Paulo Lohij, Egidio Vaijda, & Georgio ſellatore de Vuylax dixit, quod filius ſuus nomine Stephanus ex longa infirmitate fuit contractus in vno pede, & in vna manu, & facto voto ipſum deportare ad tumulum viri Dei, illico ſanitati fuit reſtitutus.

Cæcus,

Digitized by Google

Cæcus, Mutus, et Surdus per quatuor annos.

STtephanus Sergyarto de Bodizentimelos vna cum vicino ſuo Ioanne Zeccherez, ac relicta Michaelis Bugſy de eadem præſtito iuramento coram deputatis teſtibus, dixit, quod ipſe Stephanus per quatuor annos continuos fuit cæcus, & mutus, ac ſurdus, & facto voto viſitare ſepulchrum famuli Dei, mirabilem obtinuit gratiam, nam cum portaretur à ſuis ad ipſum ſepulchrum, in ipſo itinere reſoluta eſt lingua, eius oculi aperti ſunt, & auditus ſibi integrè reſtitutus eſt, ſicque loquitur, videt, & audit perfectiſſimè.

Destituta omnibus membris, et miſerabiliter infirma.

HElena vxor Ioannis Fabri de Zegdino, vna cum relicta Martini Cholo, & Ancilla eiuſdem Ioannis præſtito iuramento coram teſtibus deputatis dixit, quod ipſa videlicet Helena ob grauiſſimam infirmitatem adeo fuit in omnibus ſuis membris deſtituta, quod nec manus a eleuare poterat, nec de vno latere in aliud ſe vertere valebat vllo modo, ſine adiutorio aliorum, & ex vno latere in vna manu, & in vno pede aliquem viuacem vigorem ſentiebat nullatenus: tandem cum inuocatione, & maxima deuotione ſe deuouit ad tumulum viri Dei ſe facere portare, quo voto emiſſo mox ſanata eſt perfectiſſimè, votumque ſuis pedibus perfecit, vbi hęc cum lacrimabili exultatione, & gratiarum actione, ſeriosè, ac conſcientiosè recitauit.

Digitized by Google

Paſſa caducum morbum ſecundo anno, et Paralitica.

VXor Ioannis Helye de Kyralgen prope Zegdinum præſtito iuramento corã teſtibus vna cum Helena vxore Valentini Iaghyas, ac Agnete relicta Antonij de prædicta villa dixit, quod ipſa paſſa eſt caducum morbum vſque ad ſecundos annos ex quo morbo tremefacta, & paralytica deuenit in omnibus membris inceſſanter trepidans tanquam frenetica, facto voto ad tumulum Beati Patris, immediatè integraliter reſtaurata eſt, & priſtinæ reddita ſanitati. Hæç recitata, & teſtificata ſunt coram magna multitudine populi, cum magna exaltatione fidei noſtræ, & fideliſſimi ſerui Ieſu Chriſti B. Ioannis à Capiſtrano.

In articulo mortis conſtitutus.

NObilis D. Helena vxor nobilis cuiuſdam viri de Erdoch portans ad tumulum filium ſuum duorum annorum iurauit coram deputatis teſtibus, & coram nobili viro Nicolao de Zeuteuus, & coram Bartolomeo Budam, & quam pluribus alijs circumſtantibus, quod dictus puer fuit in procinctu mortis; ita quod cum maximo fletu mater expectabat eum expirare, quæ inuocauit Beatum Patrem, quod ipſam in tanta anguſtia non derelinqueret, ſed à Domino Ieſu Chriſto impetraret vitam filio ſuo, deuouendo ipſum deportare ad tumulum ſuum. O mirabilis Deus mox hoc dicto puer in omni ſanitate conualuit per gratiam illius, qui mortificat, & viuificat.

Digitized by Google

In mortis agone conſtitutus.

ELias de Lythot præſtito iuramento coram deputatis dixit, quod filius ſuus paruulus, cum eſſet in agone mortis, facto voto ad tumulum viri Dei ipſum deportare, ſtatim conualuit, & priſtinæ reſtitutus eſt ſanitati.

In agone mortis conſtitutus.

DEmetrius Nemeth de prædicta Lythot cum eſſet in agone mortis, & faceret votum mentaliter ad Beatum Patrem ſtatim ſanus factus eſt, quod qui cum ipſo venerunt ſimul cum ipſo iuramento teſtificantur, & affirmant.

Deſtituta in pedibus, et deſperata de ſanitate.

MArgareta vxor Fabiani de villa Senthgeurg prope Apati præſtito iuramento coram deputatis ciuibus, & coram multis alijs dixit, quod quinque annos continuos fuit deſtituta in pedibus, & omnino iam deſperata, quod amplius non conualeſceret, quæ audiens tot, & tanta miracula fieri apud ſepulchrum Beati Ioannis, mox ſe deuouit quomodocumque poſſet ad illud accedere, & ſic aliquantum conualuit, ita quod debiliter ad illud acceſſit, quo cum perueniſſet, & ſepulchrum circuiſſet, cum magna lætitia, & exultatione altè coram omnibus proclamauit: *Verè iam currendo poſſum remeare ad domum noſtram*, ex quo miraculo fuit magnum gaudium omni populo cũ clamore, & inuocatione nominis Ieſu vociferando pro tãta gloria Dei, & fideliſſimi ſerui ſui, quam veritatem affirmauerunt egregij, & nobiles viri Ioannes Bos, & Paulus de Gerzeneſe, & Blaſius.

Digitized by Google

Infirmus, et patiens in oculis.

SAcerdos quidam nomine Stephanus plebanus de Naghezijs præſtito iuramento coram deputatis, & prædictis nobilibus dixit, quod cum eſſet in grauiſſima infirmitate per plures dies, & ex illa eſſet periculum amittendi lumen oculorum, deuotiſſimè facto voto viſitare Sepulchrum Beati viri Domini, mox ſanus extitit tàm in corpore, quàm in oculis, dans gloriam Deo, & Beato Patri fratri Ioanni de Capiſtrano.

Deſtitutus, et in periculo mortis.

EGidius quidam annorum octo de Achia, cum haberet infirmitatem, & eſſet deſtitutus in omnibus membris, nec crederetur ſuperuicturus, facto voto per ſuos ad virum Dei, ſanus mox extitit, quod ipſe ſua fide medio præſtito iuramēto coram teſtibus deputatis, & coram Stephano Sathij, & relicta cuiuſdam Barnabæ Benecleg nomine Margareta, & coram Martino Cabo recitauit.

Maximo apoſthemate percuſſa.

HElena virgo de Achia annorum ſexdecim maximo apoſthemate percuſſa, ac moleſtata, faſſa eſt vna cum matre ſua coram deputatis iuramento mediante, & coram perſonis proximè ſupra poſitis, quòd poſtquam per matrem ſuam pro ea emiſſum eſt votum ad Sepulchrum viri Dei deportanda immediatè ſanata eſt.

Para-

Digitized by Google

Paralytica, et infirma.

CLara virgo annorum octo de Achia paralytica in membris poſtquam per matrem ſuam emiſſum eſt votum, illam ad Sepulchrum viri Dei deportare; ſubito ſana eſt, & ſanitati reſtituta fuit, quod mater ſua coram deputatis, & ſupradictis teſtibus affirmauit.

Morbus caducus, et continuus ſanguinis fluxus.

MArgareta relicta de Achia præſtito iuramento coram deputatis teſtibus, & viris ſupradictis dixit, quod habebat vnum filium duodecim annorum nomine Simonem habentem continuum ſanguinis fluxum, & morbum caducum, quem poſtquam cum maxima deuotione portauit ad tumulum Beati viri Dei ab vtraque infirmitate perfectiſſimè ſanatus eſt.

Paralytica per multum tempus, et incurabilis.

CAtharina vxor Michaelis Iambar de Achia coram teſtibus ſupradictis faſſa eſt, quod cum haberet paralyſim per longum tempus, eſſetque ſibi incurabilis, ſtatim quod ſe contrinxit voto Sepulchrum viri Dei viſitare, ſana effecta eſt, quod etiam coram deputatis viribus de Vuylax affirmauit.

Paralytica irremediabilis, et ſanata.

AGnes vxor Stephani Zathaij coram teſtibus deputatis, & alijs ſupra poſitis præſtito iuramento, dixit, quod cum haberet moleſtiſſimam paralyſim à multis tempori-

poribus, facto voto viſitare Sepulchrum viri Dei, ſana, & incolumis, ac recens remanſit.

Infirmus membris deſtitutus, et ſurgere non valens.

BLaſius filius Matthiæ de villa cuius diæceſis Ehiapodiens annorum ferè viginti quatuor præſtito iuramento coram ciuibus deputatis, & coram prouidis viris Nicolao Tegh de Temeſnar, Blaſio Tot de Vuylax ſubdiacono, & Gallo mercatore de Vuylax, & alijs multis dixit, quod cum habitaret in villa Cuſtur nuncupata eiuſdem diæceſis fuit tali percuſſus infirmitate, quod quaſi per annum non potuit de lecto ſurgere, omnibus membris manens deſtitutus, & paulatim deficiebat, nec vllo poterat attentato remedio ſubueniri: hic audiens de miraculis, & de fama concurſus ad Sepulchrum Beati viri concepit in eum maximam deuotionem, ſed non audebat ſe conſtringere voto ad tumulum ire, cum non potuiſſet de lecto proſilire, qui cum quadam nocte ſic penoſus in ſtrato ſuo iaceret, apparuit in ſomnis ſibi Pater Beatus, dicens *ò Blaſi ſi vis de tua infirmitate ſanari fac votum ad tumulum meum venire*: quò audito diffidebat cum diſtaret viginti milliaribus Vngaricalibus, nihilominus deuouit ſe ad illud ire. O Deus mirabilis ſtatim ſanus factus eſt, quod fuit ante feſtum Aſſumptionis Virginis Mariæ 1458. & votum compleuit 1458. die tertia Octobris.

Amens, et ſenſu priuatus, et infirmus.

DEmetricus filius Georgij Selani de Temeſnar ætatis nouem annorum tali vltra annum infirmitate præmebatur, vt quatuor menſes infirmus, & ſenſu priuatus diſcurrens hinc inde, non loquens, ſed tanquam amens caperet perſonas per plateas, faciens actus, & geſtus fatui haben-

Digitized by Google

habentes; cuius Pater audiens, ac ſentiens mirabilia, quæ fiebant per merita Beati Ioannis vouit illum ad ſacrum ſuum tumulum deportare, ſi à prædicta infirmitate ſanaretur, ò mirabilis Deus, vix verba finiuerat, & ecce filius omni remota infirmitate recepit viſum pariter. & ſenſum, qui per tantum temporis extiterat cæcus infirmus, & amens; veniens itaque prædictus pater ad Sepulchrum, & ſecum ducens filium liberatum, compleuit votum recitans hæc præſtito iuramento coram deputatis, & coram Ioanne Corrigiario de Zegdino 1459. die decima tertia Octobris.

Obſeſſus à malignis ſpiritibus, ſanguifluus in extremis vitæ poſitus.

NIcolaus ſolanus Carpentarius habitator in Vuylax præſtito iuramento coram deputatis ad hoc vna cum vxore ſua dixit, quod quindecim annos continuos fuerat moleſtatus, & obſeſſus à malignis ſpiritibus, qui non ſinebant eum aliquid exercere, & ex alia ſibi ſuperuenien-te infirmitate emittebat ſanguinem de ore, qui ex his malis ad tantum deuenerat, quod erat proximus morti, ità quod quadam nocte laborabat in extremis, nec erat ei ſpes, nec alijs ſuperuiuere, qui vna cum vxore, cum facere votum Sepulchrum viri Dei viſitare, illucque portare vnam imaginem ceream, ſtatim liber ſanus, & ſenſatus remanſit, venienſque ad Sepulchrum, ac ſecum portans imaginem promiſſam ceream, & candelas, vna cum vxore ſua Helena, & fratre ſuo Andrea narrauit hæc omnia præſtito iuramento coram deputatis ciuibus, & coram Matteo Valentini de Vuylax, & Sebaſtiano Clerico filio Ioannis literati de eadem 1459. die decima tertia Octobris.

Infir-

Infirma per annum grauiter.

VEronica de atha vxor Blaſij ſutoris veniens ad Sepulcrum præſtitit iuramentum coram deputatis, & coram magiſtro Paulo de Blagay capitaneo ſuper bombardas in Albanandel, & Andrea clerico de Vthuan, & Paulo de prædicta Datha, & coram Dorothea vxore Thomæ de Temeſtres ciue eiuſdem Bathæ, & Petro litterato de batha dixit, quod paſſa eſt quandam infirmitatem adeò grauem, quod præ nimia anguſtia, & dolore, vſque ad annum cum dimidio, non poterat ſtare, nec ſedere, atque etiam iacere, nec inueniebatur remedium ſibi proficuum, quæ, facto voto Sepulchrum viri Dei viſitare, de die in diem melius ſe habuit, & incipiẽdo perficere votum quantulo plus Sepulchro appropinquabat, tanto amplius conualeſcebat, & perfecto voto, perfectè ſanata eſt, ità quod è Sepulchro ad Batham rediuit pedibus ſuis, quod etiam teſtatur maior pars Bathæ.

Grauiſſimè infirmus, ſine ſpe remedij.

SAcerdos quidam Gerardus nomine plebanus de Heniſmith villa ſic nuncupata diſtante ab Vuylax triginta milliaribus Vngaricalibus tres annos, & vltra tali peſtiſera infirmitate continuè oppreſſus fuit, vt anhelitum non poſſet emittere, ſed cum maxima difficultate poterat reſpirare, aliquando per magnum ſpatium amittens loquelam, verſus in pallorem, quòd videbatur mortuus, nec valens iacere, neque ſedere, ſed ſtabat in continuo cruciatu; hic ſpem habens in Domino ob merita Beati Patris fratris Ioannis, voto ſe conſtrinxit, ſepulchrum ipſius viſitare, & ibidem celebrare, quo voto emiſſo, nec dum impleto, ſtatim liberatus eſt, ſanuſque venit ad Sepulchrum

vno

vno cum cappellano ſuo Andrea, & D. Ioanne plebano de Mahat, & ibidem celebrauit, quod, iuramento dato coram deputatis affirmauit fuitque 1459. decimo ſexto Septembris.

Infirmus per tres annos continuos grauiſsimè.

ANna relicta olim Emerici Selani de Batha vicina Petri litterati præſtito iuramento corã deputatis,& coram filio ſuo Paulo, & coram teſtibus ſupradictè veronicę retulit, quod per tres menſes iacuerat tam graui infirmitate depreſſa, vt nullum ſui corporis membrum, excepto capite, & manibus penitus mouere poſſet, ſed emiſſo voto viſitandi Sepulchrum viri Dei, ſtatim conualuit, & priſtinę fuit reſtituta ſanitati,perfecitque votum die ſupradicta Veronicæ.

Hidropica, & miſerabiliter inflata per medium annum, & in extremis agens ſignis mortis apparentibus.

HElena vxor Ioannis inſtitoris de Themeſnar præſtito iuramento ante Sepulcrum coram deputatis dixit, quod per medium annum fuit tam graui infirmitate grauata, & adeo inflata deuenit, vt hydropica ab omnibus iudicaretur,& omnes dicebant, quod omninò præ nimia inflatione creparet, cuius maritus ſcilicet ipſe Ioannes neceſſitate coactus volens ire ad vina recuperanda, quæ ſibi violenter auferebantur, fuit præmonitus ne recederet, quia vxor ſua ſtatim moreretur, dum iam ſudor, & ſigna mortis apparebant, qui videns ſe vndique afflictum eleuatis oculis ad cælum ſuſpirio deuouit ſuam vxorem ad Sepulchrum viri Dei deportare, ſi ex morte euaderet, o mirabilis Deus ſtatim alleuiata conualuit, &

Digitized by Google

vſque ad hanc diem ſaniſſima fuit omni inflatione fugata, quod etiam ipſe Ioannes iurauit.

In agonē mortis conſtitutus.

PRædicti Ioannes, & Helena portantes eorum filium nomine Ladislaum ætate octodecim menſium iuramento præſtito coram deputatis dixerunt, quod cum eſſet ipſe filius bis in agone mortis conſtitutus, adeo quod vix apparebant in eo ſigna viui hominis, & iam fecerant panem pro obſequio, & obſequialia parauerant, vouentes eūm pariter ad viri Dei ſacrum Sepulchrum deportare, illico puerum de faucibus mortis ereptum, ſanum, & incolumen receperunt.

Dolor corporis intollerabilis.

PAulus Martan de ſancto Demetrio penes Sauam, propter quædam grauiſſima pondera leuanda grauiter in ſuo corpore ſe læſit, tamque vehemētem habebat dolorem, vt ſtare, aut ſedere minimè valeret, qui, facto voto viſitare Sepulchrum famuli Dei, ſtatim conualuit, & ſanatus eſt, vt iurauit veniens ad Sepulchrum coram deputatis.

Mortuus potius, quàm viuus iudicatus.

NObilis quidam Paulus nomine veniens ad Sepulchrum viri Dei in die ſui Beati obitus videlicet 23. Octobris 1459. portauit filiū ſuum paruulum ætatis vnius anni cum dimidio, & retulit coram magno populo in publica prædicatione, quomodo in nocte Sancti Lucæ proximè præcedentis fuerat ipſe puer adeo in extremis, vt potius mortuus, quàm viuus crederetur; & facto voto ipſum por-

Digitized by Google

portare ad ſacrum Sepulchrum viri Dei, ſtatim conualuit, ſtatim ſanatus factus eſt, ſtatimque cum ipſo puero Pater verſus Sepulcrum viam arripuit, & diuinitus factum eſt, vt illa hora ad Sepulchrum peruenerint cum prædicabatur de iſto Beato Patre in die ſui obitus, qui puer ſanatus eſt, & incolumis fuit oſtenſus populo cum maxima deuotione, & confirmatione beatitudinis Patris Beati cum admiratione.

Cæcus, & nihil videns per integrum annum.

GEorgius ſuperius nominatus de Themeſnar, vel Georgius Thot veniens ad Sepulchrum ad ſoluendum votum ſuũ cum vxore ſua emiſſum pro filio ſuo Demetrio iurauit coram teſtibus deputatis, & dixit in Themeſnar eſſe quemdam pellificem, qui per annum integrum extiterat cæcus, & qui poſtquam fuit ductus per alium ad Sepulchrum Beati viri Dei, perfectiſſimè illuminatus eſt, & eſt ſanus, clariſſimos oculos habens.

Cæcus, & patiens longas, & moleſtiſſimas febres quartanas.

VAlentinus Clericus iuuenis conſcientioſus, & deuotus de Themeſnar ab vtroq; oculo fuiſſe cæcum per multum temporis, & fuiſſe oppreſſum quartanis febribus, iurauit coram deputatis, veniens ad Sepulchrum facto voto viſitandi Sepulchrum, & à cæcitate oculorum, & à februm oppreſſione liber continuo euaſit.

A maximo dolore liberatus.

PAulus Clericus de Vuylax Rector ſcolæ quodam vehementiſſimo dolore oppreſſus in oculis cum mirabili

bili vertigine capitis, adeo quod nullam penitus quietem habere poterat, facto voto viſitandi Sepulchrum, diſtabat etiam ab eo quinque milliaribus Vngaricalibus, ſtatim ab omni dolore, & paſſione fuit alienus, ſicut ipſe veniens ad Sepulchrum coram deputatis iuramento firmauit.

Conſtituta taliter in extremis, quod mortua credita eſt.

ELiſabet relicta olim Gregorij Caſtellani de Vuylax conſcientiosè retulit, quod habens vnam filiam nomine Catharinam Mortch, & acutiſſima febre diù vexatam: quadam nocte ſcilicet ſequenti nocte poſt diem obitus Beati Patris anni 1454. vidit eam agonizantem, & ſpiritum exhalantem, & iam non ſperabat eam amplius viuere, imò mortuam credebat, cum non apparerent in ea ſigna viui hominis, ipſa doloroſa vocauit quẽdam Sacerdotem vicinum Cappellanum Diui Michaelis Bani, qui veniens credidit, ac iudicauit illam omninò mortuam, dicitque Domina *ſepara te ab iſta filia tua, quam tanto amore dilexiſti, ipſa enim iam regnat in Cælis, ſed compatior dolori tuo cordialiter*, quæ in tanta anguſtia, & dolore poſita genuflectens flebiliter inuocauit Dominum Ieſum Chriſtum, & Virginem Glorioſam Mariam per merita fideliſſimi ſerui ſui Beati Ioannis, qui tantis miraculis coruſcat, dignetur reddere ſpiritum vitalem filiæ ſuæ, conſtringens ſe tali voto videlicet velle ieiunare ad ipſius Beati honorem ſingulis quartis ferijs per integrum annum; Item velle facere celebrari ad eiuſdem honorem decem miſſas in cappella Sepulcri ipſius. Item toto temporè vitæ ſuæ velle ſibi pro poſſe ſeruire, & ipſum habere ſpecialem interceſſorem, & adhuc identidem inſtruere filiam ſuam. O ſtupor, & gaudium, vix Domina finierat, & ecce puella, quæ mortua credebatur, ſtatim in ſe reuerſa retraxit ſpiritum, & ceſſauit ab Agonizatione, & manum ſuam ſibimet impo-

nens

Digitized by Google

nens ſupra caput, dulciter obdormiuit, & viuit ſana, & recens filia prædicta, præfatus Sacerdos affirmat, & ipſa eadem Domina iuramẽto firmauit coram deputatis ciuibus, & coram Paulo dicto Vayuoda de Vuylax, & Demetrio Banchi, Clemente Lapicida, & vxore Thomæ Sartoris, & multis alijs de Vuylax.

A periculo mortis liberatus.

BLaſius dictus ThoKax de Vaſxapu coram Ciuibus deputatis iuramento aſſeruit, quod cum eſſet in quadam vinea ſimul cum alijs ad laborandum præuentus quodam vehementiſſimo dolore inteſtino, cecidit quaſi mortuus, amittens loquelam, & perdens colorem, nec ſurgere poterat, nec iacere præ nimio dolore, perſuaſus ab illis, qui præſentes erant, vt aſtringeret ſe voto ire ad Sepulchrum Beati Patris fratris Ioannis, & ſic ſanus fieret, emiſit infra ſe votum, quo facto immediatè loquens ſurrexit, & ſtetit ſanus, ac non ingratus beneficio, ex templo verſus Sepulchrum viam cæpit, & illud deuotè viſitauit.

Ab inſtanti mortis periculo liberata.

NObilis quidam, & deuotus nomine Nicolaus de Adan vir vtique famoſus retulit Budæ coram multis in feſto ſanctæ Luciæ 1459. ſe habere quamdam filiam vnicè dilectam annorum ſeptem nomine Agatam, ex diutina infirmitate in mortis periculo conſtitutam, pro qua, facto voto inducere duos fratres ad honorem Beati Ioannis, & ire, aut mittere ad Sepulchrum ipſius in Vuylax ſi ab inſtanti mortis periculo filia euaderet, quæ confeſtim conualuit, & ſanitati optimè fuit reſtituta, viuitq; recens, ipſe autem non ingratus beneficio viſitauit Sepulchrum

per

per fratres ſuos, quod habet in vno loco in ſuo dominio ſito; iſte eſt à Sancto Nicolao Vaynoda.

A caduco morbo liberata,

PVella quædam filia cuiuſdam nobilis de Buda ætatis nouem menſium caduco morbo taliter laborãs, quod intra diem, ac noctem à dicto morbo horribiliter ſepties vexaretur, nullam requiem habere poterat, facto voto per parentes ipſius eam ad Sepulchrum viri Dei deportare, ſi à dicto morbo ſana euaderet, & oratione facta ad merita ipſius beati viri puella ità liberata eſt, vt nunquam amplius à dicto morbo fuerit vexata 1460.

A faucibus mortis erutus.

FAbianus de Buda in tali ſuæ vitæ extremitate fuit conſtitutus, vt omnibus Sacramentis munitus, recomendatione animæ facta, ac accenſis candelis, non niſi animam exhalare expectabatur, ſed facto voto per ſuos ad virum Dei Beatum Ioannem, mox ſibi loquela rediјt, & ſenſus reſtitutus eſt: ſicque per ſe ipſum facto voto viſitandi Sepulchrum viri Dei, & intrare Religionem Minorum ad honorem ipſius Beati, mox infirmitate fugata ſanus, & incolumis ſtetit ad laudem Beati Ioannis.

A morte ſuſcitata.

QVædam D. Nobiliſſima vxor Nicolai Peteudi dicti veniens ad Sepulchrum viri Dei coram multis conſcientiosè faſſa eſt, quod filia ſua quatuor annorum ex infirmi-

ſirmitate ad mortem venit, ità quod ab hora completorij, vſque ad horam matutinalem nullus vitæ ſpiritus in ea cognoſcebatur, nec ſigna viui hominis apparebant, ſicque pro mortua eam plangebant parentes, ſed eius mater dolore afflicta cogitans de miraculis aſſiduis dicti Beati Patris, deuotione, qua potuit flebiliter deuouit filiam ſuam ad tumulum ipſius viri dei deportare, ſi ſpiritus vitalis ei ob ſua merita redderetur, quo vix dicto, & ecce filia ſua illico reuixit, & ſtetit ſana, & incolumis viuit.

A grauiſſima ruptura liberatur.

NObilis quidam Franciſcus nomine de Berhij per annos duodecim tali grauiſſima ruptura vexabatur, quod neque ambulare, neq; equitare poterat ſine ſui verecundia, ſtabatque inter nobiles, & alios confuſus, ſed audiens tanta miracula fieri ad merita Beati Patris firmiſſimo voto ſe adſtrinxit, quod ſi à ſua horribili ruptura ſanaretur, vellet viſitare Sepulcrum ipſius viri, ac pro ſigno gratiæ ſuſpendere ligaturas, ſiue lumbare non paruum ſuper ipſius Sepulchrum. Mirabile dictu? mane ſequenti expergefactus reperijt ſe ità ſanum, & liberum, ac ſi nunquam talem infirmitatem habuiſſet, quod cum diceret vxori ſuæ, læti mirum in modum efficiuntur, ac non poſt multum viſitans Sepulchrum compleuit votum vt promiſit, hæc coram omnibus publicè diuulgans.

A dolore grauiſſimo, & ſurditate liberatus.

GEorgius Clericus de Tranſiluania commorans in Gyuula cauſa ſtudiorum, cum pateretur tam intollerabilem dolorem dentium menſibus ſex, quod quaſi

amens

Digitized by Google

amens die noctuque pergebat, imò, nec comedere, nec dormire valebat, à Deo inſpiratus voto ſeſe Beato Patri conſtrinxit velle ſuum Sepulcrum viſitare, & facto voto illa nocte à ſuo intollerabili dolore fuit liberatus, ſed ex ſua pigritia votum implere diſtulit, cui poſt aliquot dies ſui ſocij inſingebant, ac eum comonebant, vt ſuum, quod ſecerat votum impleret, ne fortè incideret in priſtinam, aut maiorem infirmitatem, poſt quàm ſalubrem monitionem, cum egrederetur Eccleſiam, ſtatim ſenſit vnam magnam alapham in ſe recepiſſe, ex qua continua infirmitate grauiſſima percuſſus eſt, vt quaſi nihil audiret omninò, & ſic timens, & tremens ſuo ſe voto ſubegit, quod ſi ob merita Beati Patris Deus omnipotees reſtitueret ſibi auditum, confeſtim vota impleret, mirabilis Deus? Nocte ſequenti ità perfectè ſanatus eſt, ac ſi nihil mali prius habuiſſet, ſicq; caſtigatus votum impleuit 1460. de menſe Martij, quod faſſus eſt ante Sepulchrum coram diſcreto viro Dioniſio Volagy.

Ab apoſtemate liberatus.

BEnedictus de villa Fyzes dioceſis quinque Ecclienſis veniens ad Sepulchrum Beati Patris retulit coram iudice ciuitatis de VuylaK, & multis alijs, quod filius ſuus nomine Ioannes annorũ tredecim in anno Dòmini 1459. de menſe Aprilis paſſus fuit tale apoſtema, quod non niſi mors ſibi expectabatur, & habens linguam horribiliter inflatam, etiam loqui amplius non valebat, ſicque pro ſua ſepultura funerabilia omnia a Patre parata erant, qui ſcilicet Pater dolore plenus fiduciam habens in meritis Beati Patris Ioannis, voto ſe aſtrinxit viſitare ſuum Sepulchrum, ac ad illud ducere filium ſuum, ſi ab imminenti mortis periculo liber euaderet, quo dicto non ſolum

à fau-

à faucibus mortis; verum etiam ab omni ſua infirmitate ſaniſſimus factus eſt, votumque compleuit vna cum ipſo filio anno ſequenti die decima octaua Aprilis.

Ab apoſtemate grauiſſimo liberatus.

SAcerdos quidam nomine Paulus Cappellanus de Kauiſa viua voce faſſus eſt coram teſtibus deputatis, & Valẽtino fratre ſuo, & Paulo de Buda ciue ciuitatis Vuylàx, ac etiam coram Gregorio aurifabro, & multis alijs, quod cum ipſe haberet quoddam inteſtinum apoſtema, tam validum tamque horrendum, vt per quinque annos continuos iaceret in lecto grauiſſimè aggrauatus, ità quod de vno latere in aliud ſine adiutorio aliorum ſe minimè vertere poterat, facto voto viſitare Sepulchrum Viri Dei, confeſtim cæpit conualeſcere, ſicque vna cum fratre ſuo prędicto pedeſter viſitauit Sepulchrum votum complens, qui cum eſſet in Vuylax propter laborem itineris, cæpit aliquatenus infirmari, & iterum comendans ſe Beato Patri integrè ſanus effectus eſt, ſicque gaudens, & lætus ad propria remeauit.

A varijs infirmitatibus liberatus.

PLebanus de Sehe Sacerdos venerabilis multis oppreſſus infirmitatibus, cum nullum ſibi remedium adinueniri poſſet, viſitare Beati viri ſepulchrum voto firmiſſimo ſe conſtrinxit, quo facto, illico optimæ ſanitati reſtitutus eſt, cui rei teſtimonium perhibuerunt duo ſacerdotes, qui cum ipſo venerant etiam voto aſtricti propter ſanitatum gratias conſecutas.

Digitized by Google

A fluxu ſanguinis liberatus.

PLebanus de BatKa Diœceſis Bačtienſis nomine Albertus cum multum temporis pateretur fluxum ſanguinis tam miſerabiliter quod exinde mori omnino crederet, audita fama miraculorum, quæ ad merita Beati viri Dei fiebant, votum emiſit ipſius viri Dei viſitare ſepulchrum, atque ſtatim ſanguis ſtetit, & perfectiſſimè ſanus effectus nõ amplius tali, nec altera infirmitate moleſtatus, compleuitque votum die decima octaua. Aprilis 1458.

A grauiſsimo vlcere liberatus.

SAcerdos quidam venerabilis nomine Michael filius Blaſij ferde de Hagmos Plebanus in quadam villa, quæ vocatur Fono diœceſis Bacuienſis in anno Domini 1457. tam grauiſſimo vlcere in gutture affligebatur, quod omnino ex illa conſumi, & deficere paulatim ſibi videretur iacens in lecto eiulans miſerabiliter, & clamans, nec ſibi aliquo poterat ſubueniri remedio, ſed in dies peius ſe ſentiebat, qui cum recurreret ad merita Beati fratris Ioannis, voto ſe adſtringendo ſuum viſitare ſepulchrum, ſtatim dolor ceſſauit, & ſanus factus eſt, nullo ipſius vlceris remanentes veſtigio, adimpleuit autem votum vna cum prædicto Plebano recitans vterque conſcientioſè ſeriem ſui caſus 1460. die quo ſupra.

A continuo ſanguinis fluxu liberata.

MVlier quædam patiens continuũ ſanguinis fluxum per ſex menſes, facto voto viſitare ſepulchrum

Beati

Beati viri Dei ceſſauit ſanguis, & ſana facta eſt, ſicut ipſa coram deputatis ad ſepulchrum veniens, ac non paruum cereum portans publicè enarrauit.

A continuis doloribus vltra medium annum liberatur.

IOannes de Gry molendinator patiens dolores intollerabiles in toto ſuo corpore continuè vltra medium annum, adeo quod non poterat ipſos quoquomodo tollerare, facto voto viſitandi ſepulchrum Beati Patris immediatè ſanus factus eſt, doloribus penitus fugatis, qui veniens ad ſepulchrum hæc publicè coram multis enarrauit, quod etiam affirmant Ioannes Blaſij, & Valentinus de eadem villa Gry.

Grauis infirmitas.

ELiſabeth vxor Pauli de villa Saputh cum per ſex menſes tali premeretur infirmitate, vt nullo modo ſine aliorum auxilio de latere in latus ſe vertere poſſet iacens miſerabiliter afflicta, facto voto ex perſuaſione ſui viri viſitare ſepulchrum viri Dei, ſtatim conualuit, ſicque ad paucos dies ita ſanitati optimæ reſtituta eſt, vt ſuis pedibus ipſum ſepulchrū currens viſitauerit, hæc publicè narrans ſuo adſtante marito, ac confirmante, cui etiam rei teſtimonium faciunt Plebanus eiuſdem villæ nomine Fabianus, & huius ſucceſſor alter Plebanus nomine Ioannes, & Ladislaus Pap. Primus Sacerdos de eadem villa.

Digitized by Google

Ab agone mortis liberatus.

NObilis quidam nomine Lucas veniens ad ſepulchrũ Beati Patris cum vxore ſua, ac famula retulit coram Ioanne, & Dominico Zenazegh, & Luca Toth, & Petro Ormandi, quatenus vxor ſua tali fuit oppreſſa infirmitate per ſex menſes, quod vix in eo halitus ſentiretur, & iam paulatim deficiens deuenerat ad Ianuam mortis continuò agonizans, quam videns ipſius maritus nimia triſtitia affectus, quod facere neſciebat; cogitans tamen de miraculis ipſius Beati Patris recurrit ad eius merita cum anxietate cordis ſibi ſe conſtringens voto, quod ſi vxor ſua ab imminenti mortis periculo euaderet, vna cum illa, & cum familia velle ſuum ſepulchrum viſitare, quo dicto immediatè conualeſcere incipiens, adeo ſanitati reſtituta eſt, vt ad paucos dies pariter votum compleuerint, quo perueníentes publicè gloriam Dei, & mirabilia facta ad merita Beati Ioannis de Capiſtrano narrauerunt.

A continuis febribus liberatus.

PRæfata d. vxor prædicti Lucæ eadem hora ante ſepulchrum retulit, quod cum filius ſuus trium annorum ab hora ſui ortus fuit ſemper continuis febribus oppreſſus. Facto voto per eam ad Beatum Patrem, ſtatim extitit liberatus, amplius non vexatus in febrium, neque alterius infirmitatis moleſtia.

Mutus, et contractus in Brachio.

QVidam de Varadino rediens de Roma cum maxima comitiua, ex caſu accidenti amiſit loquelam, ac brachium erat ſibi ita contractum, quod neque eleuare,

neque

neque deponere poterat, venienſque ad quamdam Eccleſiam relictus ab alijs ibi remanſit, qui cum nutibus diceret caſum D. Valentino canonico maioris Eccleſiæ, & Prædicatori acceptiſſimo, ac magiſtro Sacræ Theologiæ, monitus eſt ab illo, vt ſe Beato Ioanni recomendaret, & aliquo voto ſe illi adſtringeret: quod cum ille faceret loquelam priſtinam ſtatim recuperauit brachio remanente infirmo: qui cum a dicto Sacerdote moneretur, vt ſi ſui brachij ſanitatem vellet, iret ad ſepulchrum Beati Patris, ibique ſanaretur; mox ad ipſius tumulum perueniens oratione facta, ſanus perfectiſſimè extitit, ac lætus, & gaudens ad propria remeauit.

Dolor maximus.

IOannes de Reguus habitans in Suburbio de Vuylax cum maximum pateretur dolorē per menſem in dextero latere ſui corporis, nec remedia aliqua ſibi ſuffragarentur, ſed continuè ipſe dolor magis, ac magis creſceret, cogitans de ſtupendis, ac continuis miraculis Beati Patris, voto ſe ſe illi adſtrinxit, quod ſi ab intollerabili dolore ſanus fieret, publicè hoc predicato, ad ipſius honorem vellet viſitare ſuum ſanctiſſimum ſepulchrum, mira, ac ſtupenda res! ſtatim voto facto viſum eſt ſibi, quod quaſi quidam gladius ex illo latere extraheretur, remanſitque ſanus, & liber, compleuit votum anno Domini 1460. die vigeſima aprilis.

Cæca mirabiliter illuminata.

HElena vxor Thomæ de Vuilax cum ex infirmitate cæcitatem amborum oculorum incurriſſet, ità quod à feſto Natiuitatis Domini, vſque ad feſtum Reſurrectionis penitus nihil videret, ſed quocumque ea, ne contingeret

geret, alterius manu ducebatur, hæc commendans ſe Beato Ioanni quadam nocte, dum ſe ſopori dediſſet, apparuerunt ſibi in viſione tres perſonæ, quarum prima dicebat ſibi: ſi vis lumen oculorum tuorum habere, vade ad ſepulchrum illius viri Dei, qui iacet in Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis 2. dicebat ne vadas, quia in tentatione aduocaſti 3. dicebat viſita, quia omninò lumen recipies, quæ expergefacta talem viſionem non neglexit, ſed facta confeſſione, per filiam duci ſe fecit ad ſepulchrum viri Dei, vbi cum eſſet optimum lumen, immò clariùs priſtino recepit oculorum, quod eſt ad notitiam totius ſuæ vicinię, miraculum autem recitauit die 21. menſis aprilis pluribus audientibus 1460.

A vulnere ſagittę miraculosè ſanatus.

PLebanus de villa Diæceſis Quinquechienſis nomine Matthias conſcientiosè, ac publicè narrauit, quod cum eſſet clericus cruce ſignatus, fuit lethaliter quadam ſagitta in facie vulneratus à Turcis in Manderalba eo anno, quo de Turcis tam grauis victoria diuinitus habita fuit, cui ferrum ſagittæ in facie remanſit, qui quidem percuſſus ad Beatum Patrem currens, locum percuſſionis ei oſtendit, ſeſe ſibi commendans, quem pater conſolator afflictorum ſuo dulciſſimo eloquio ad patientiam alliciens, ipſum non moriturum exinde prædixit ſibi, qui portauit illud ferrum in facie tandiu, quod foramina ab vtraque parte vulneris iam clauſa erant, ex quo facies eius deformis reddebatur, os quoque apertum vix claudere, & clauſum aperire vix poterat, poſt mortem autem Beatiſſimi Patris, audiens famam miraculorum deuotione ſibi affectus, & ſibi intime commendauit; cumque vna die obdormiret, manum ſuam ſub capite ſibi poſuit, & excitatus reperijt ferrum, quod habebat in facie, in manu dextera poſitum

ſitum abſque aliquo dolore, quæ res tam ſtupenda omnibus fuit admirabilis poſtquam ipſe conſcientiosè, ac publicè promulgauit.

Ab incendio ignis mirabiliter liberatus.

SAcerdos quidã nomine Demetrius de Zegaloia cum ſtaret in Munderalba, & tota ciuitas vndique diuino iudicio combureretur: volens exire manſionem ſuam, & ignem fugere, reſpiciens vidit ſe vndique vehementiſſimo igne circumdatum, & iam ignis circa eum, vento flante, inuoluerat, non niſi mortem expectabat, qui genuflexus, ad Beatum Patrem fratrem Ioannem recurrit, vt ſi eius meritis ab imminẽti periculo liber euaderet, vellet ſuum Sepulcrum viſitare: mirabile dictu, ſtatim, voto facto ignis ceſſauit, & licet tota ciuitas fuerit combuſta, & læſa, manſio eius cum omnium admiratione remanſit intacta, & illæſa; venit autem ad Sepulchrũ hæc recitans Anno Domini 1460. die 21. Aprilis, miraculum fuit 1459. in die depoſitionis Sancti Ladislai Regis.

Mortuus ſucitatus.

OMnibus Chriſti fidelibus tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus præſentes literas noſtras inſpecturis; Eliſabeth relicta quondam Magnifici Domini Ioannis de Horogh comitis perpetui de Caſtellis, & Bani Mathomenſis, nec non comitatuum de Orbam, & de Boſena Comitis, & Gaſpar filius eius ſalutem, & ſinceræ charitatis affectum nos notum facimus, & teſtamur ad confirmandam Beati Ioannis de Capiſtrano gloriam, quod, certa relatione percepta, quidam familiaris noſter, & in exercitu quem fecimus contra Turcas exiſtens, quemdam paruulum ſuum in quandam profundam cauernam, ſiue foſſam

milio

milio impletam miſit, qui paruulus immediatè præ vapore ipſius milij ſuffocatus fuit, adeo quod nemo in eodem per ſpatium duarum horarum cum dimidia ſpiritum viuentem ſentire potuit, pro quo extrahendo quemdam hominem per funem in ipſam foueam miſit, qui ſimiliter de ipſa vix viuus extrahi potuit; videns tunc idem familiaris noſter dictum paruulum ſuum in medio ſublatum eſſe, inuocando nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti recurrit ad merita beatiſſimi Viri fratris Ioannis ſe de voto adſtringendo viſitare ſuum Sepulchrum, & ſtatim aſtante multa hominum copia, ſuſpirium maximum dedit, quem citius de cauerna extractum omnipotens Deus ob merita beatiſſimi viri vitæ reddidit priſtinæ per infinitatem ſempiternam.

Mortua ſuſcitata.

ANno Domini 1457. in feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli quædam mulier nomine Helena vxor Barnabæ de Hozijuugax diſtante ab Vuylax decem milliaribus italicis portauit quamdam puellam filiam ſuam ad Sepulcrum B. Patris hora miſſarum, quæ mortua fuerat in vigilia, ſcilicet die præcedenti, quæ cum præ maxima hominum præſſura nō poſſet intrare cappellam Sepulchri, poſuit illam mortuam extra inuolutam panniculis; hora autem veſperarum locauit eam iuxta Sepulchrum orans, vt Deus per merita ipſius beatiſſimi viri viuificaret filiam ſuam, dictis veſperis, ecce iam filia caleſit, & incipit moueri: ſicque ſtatim ſuſcitata eſt, & apparuit recens filia, cui rei teſtimonium faciunt Fabianus Magiſter dictus Thurturux de Vuylax, qui eam in mane vidit mortuam, & poſt veſperas tenuit in brachijs viuam. Item Agatha vxor Pauli, quæ portauit ipſam puellam de Eccleſia. Item Helena Michaelis Saraun dicti, quæ cum ea fuit. Item Iaco-

Iacobus Thelmye Portarius Caſtri vna cum famulo ſuo, qui viderũt ipſam puellam mortuã in brachijs ſuæ matris.

Et nos Iudex, & iurati ciues de ciuitate Vuylax Prouincia Chomen Regni Vngariæ ad robur, & firmitatem præſcriptorũ miraculorum, quæ per Beatum Virum fratrem Ioannem de Capiſtrano ordinis minorum Deus ipſe benignus operari dignatus eſt, modo, quo ſupra ſcribuntur noſtræ communitatis ſigillum minus hic inferius, vt conuenientius impreſſimus communi noſtro, & placita voluntate.

Præſcripta miracula congregati ciues ſupradictę ciuitatis Vuylax ad ſonum maioris campanæ viderunt, ſigillauerunt vt ſupra, & literas confecerunt cum pendenti ſigillo communitatis, qui ciues fuerunt in magno numero videlicet iudex, cum triginta tribus de Potioribus ciuitatis anno Domini 1460. die 21. Aprilis.

Quæ autem inferius ſequuntur poſt ſigillationem præſuppoſitam ritè, & ſcripta ſunt, adnotata fuerunt cum omni diligentia adhibitis digniſſimis teſtibus, & iuramento.

Contractus.

PVer quidam annorum quatuor filius Michaelis de platea piſcatoris in Vuylax mirum in modum in manibus, & pedibus fuit contractus per menſes vndecim, facto voto per parentes ad Sepulcrum Viri Dei, ità priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit, vt nemo eum videns diceret, eum quidquam mali vnquam habuiſſe, cui rei teſtimonium faciunt tota vicinia, præſertim Petrus Sartor, & relicta Michaelis Borhi de eadem platea anno Domini 1460. die vigeſima ſecunda Aprilis.

Surda ſanata.

HElena vxor Iacobi filij Barnabæ de Vuylax habitans in platea de Poſega, præſtito iuramento coram teſtibus ordinatis, & multis alijs dixit, quod filia fuit ſurda per duos annos continuos penitus nihil audiens, & facto voto per ipſam portare ad Sepulcrũ Viri Dei, ſtatim fuit ſana, ſed exinde poſtea neglecto voto, incepit ipſius filia eamdem ſurditatem, ſicque per annum fuit nihil omninò audiens, ſed iterum per matrem reſtaurato voto, iterum perfectũ recuperauit auditum, ſanaque manet, compleuit autem votum ſuum ducens filiam ad Sepulchrum vigeſima tertia Aprilis 1460. publicè hæc recitans.

Febres terribiles.

PVella quædam filia Laurentij in eadem platea in Vuylax nomine ſcolaſtica annorum quatuordecim patiẽs febres tam vehementiſſimas, vt omnis ſpes de vita eius ablata eſſet, facto voto per matrem ſuam ad Sepulchrum viri Dei, ità ſana facta eſt, vt nunquam antea ſanior vita fuerit.

Febres mortales.

MArgareta prædictæ puellæ mater vexata vi febrium moleſtiſſimarum per quindecim dies, vt non niſi mori crederet in breui, ſed adſtricta ſe voto viſitare Sepulcrum Beati Patris ceſſauit febris, & optimam recuperauit ſanitatem, ſicut ipſa coram teſtibus deputatis, & multis alijs publicè firmauit.

Proxi-

Digitized by Google

Proxima morti.

ANna de Criſtur vxor Stephani filij Blaſij pręſtito iuramento dixit, quod filia ſua nomine Rufina ætatis annorum octo tam moleſta infirmitate per ſex ſeptimanas percuſſa fuit, vt omninò morti proxima iudicaretur, nihil per octo dies ſumens, aut guſtans, pro qua mater ipſa Beatum Patrem deuotè inuocauit, vt dignaretur ſuis meritis facere, vt filia ſua, quam vnicè diligebat, pro tunc non moreretur faciens votum ſuum viſitare Sepulchrum, quo dicto, confeſtim conualuit, & ſtetit ſana filia eius nullius infirmitatis moleſtia imposterum vexata, compleuit autem votum præfatis anno, & die.

Dolor intenſiſſimus.

SCholaſtica relicta de Seronār cum intollerabilem capitis dolorem per tres annos cōtinuos pateretur, nec remedia alicuius medicinæ ſibi valerent, facto voto portare vnum caput cereum ad Sepulchrum Beati Patris per viam ſanata eſt mirabiliter, non amplius doloribus vexata, quod fuit in feſto corporis Chriſti 1459. ſed anno ſequenti ex deuotione viſitans ipſum Sepulchrum hoc iuramento firmauit publicè.

A lupa voraciſſima.

MArgareta vxor Pauli de Reſan veniens ad Sepulchrum coram multis iuramento firmando dixit, quod filius ſuus nomine Mattheus poſt tres ſeptimanas à ſua natiuitate incurrit maximam infirmitatem, quæ dicitur lupa, adeo quod per quadraginta dies totus ab illa ferè voratus erat, ſed poſt quam fecit votum Beati Ioan-

nis viſitare Sepulcrum, & ad illud filium ſuum deportare, ſanus factus ſtatim eſt, compleuit votum hæc recitans coram teſtibus Anno Domini 1460. die vigeſima tertia Aprilis.

Facilitas pariendi.

HElena vxor Georgij de Vuxlax, quæ dicitur parua Vuylax duabus diebus, & duabus noctibus laborauit in puerperio, quæ cum non poſſet parere, & eſſet in maximis doloribus, facto voto ad Sepulchrum Viri Dei ità faciliter peperit maſculum, quod nunquam in ſex liberis, quos ipſa genuerat, ſe ità facilem partum habuiſſe hoc publicè ad Sepulchrum ſerioſè iuramento firmauit.

Apoſtema grauiſsimum.

HAec eadem mulier eadem die aſſeruit, quod tempore quo B. ipſe Pater Ioannes iacebat in humanis in Eccleſia Beatæ Virginis, habebat vnum filium nomine Emericum, qui nunc eſt Clericus, patiebatur in gutture grauiſſimum apoſtema inteſtinum, linguam quoque eius ità inflatam foris tenebat, quod per ſeptimanam, neque loqui, neque aliquid deguſtare poterat, quem mater voto emiſſo, ducens ad feretrum Beati Patris deuotiſſimè illum ſuis meritis commendauit; qui cum oſculatus fuiſſet corpus, ſtatim apoſtema anullatum eſt, loquelam recepit, & petijt à matre ad comedendum.

Duo in agone mortis conſtituti.

BArbara vxor Emerici de Ylle villa ſic vocata Diœceceſis Bachienſis eodem die iuramento coram multis aſſe-

Digitized by Google

aſſeruit, quod duo filij, quos ipſa habet diuerſis tèmporibus ſuerunt in agone mortis conſtituti, nec ſpes erat amplius de eorum vita, facto voto viſitare Sepulcrũ Viri Dei, mox à faucibus mortis erepti ſunt.

Non valens ambulare.

ANna Vxor Petri de Villa Borochio per annos ſeptem ſingulis menſibus talem patiebatur infirmitatem in pedibus, quod per multos dies nõ poterat vllo modo ambulare, & iam ad tantum defecerat, quod per quinque ſeptimanas de lecto ſurgere non valeret, ſed facto voto viſitare Sepulcrum Viri Dei, ità ſana facta eſt, vt nunquam amplius quicquam mali habuiſſet.

Patiens morbum caducum.

MArgareta vxor Nicolai de Eyga propè Bachiam moleſtata morbo caduco per quinque annos adeo, quod ſola ambulare, aut ſtare non audebat, facto voto viſitare Sepulcrum Viri Dei, nunquam amplius tali morbo, aut alterius infirmitatis moleſtia fuit vexata, ſicut recitauit poſt annum veniens ad Sepulchrum.

Apoſtema grauiſſimum.

VIrgo quædam filia Pauli de Betero ætatis ferè quindecim annorum anno proximè præcedenti paſſa fuit apoſtema tam grauiſſimum in latere ſiniſtro, quod videntes eam potius morituram, quam ſuperuicturam in bræui affirmabant, ſed facto voto per matrem ſuam nomine claram ad Sepulchrum Viri Dei ducere, ſubito apoſtema ruptum fuit, & mirabiliter immediatè ſana fa-

cta eſt, quod recitatum eſt ab ipſa,præſente, & affirmante ſua matre cum ſuis vicinis eodem anno, & die.

Patiens morbum caducum.

NObilis quidã nomine Andreas dictus Eleſanth commorans in Villa Blaſij per ſuos familiares nuntiauit ad Sepulcrum, quod cum haberet filiam vnam nomine Catharinam, ſtatim quod fuit nata facta eſt febricitans, & laborans morbo caduco per annum vnum integrum terribiliter vexata, ſed facto voto eam mittere vel portare ad Sepulchrum beatiſſimi Viri Dei, ſtatim ab vtraque infirmitate libera remanſit non amplius vexata, manetque recens, & delectabilis puella compleuit votum ſum præfato anno, & die videlicet 1460. die 23. Aprilis miſitque illam per familiarem ſuum nomine Demetrium.

Quaſi à morte ſuſcitatus.

NIcolaus de Huith vna cum vxore ſua Margareta veniens ad Sepulcrum viri Dei iuramento pariter firmauerũt, quod filius eorum Iacobus nomine ætatis vnius anni fuit in tali vitæ extremitate, quod penitus ſpiritum in eo amplius non ſentiebãt, clamabantq; eum mortuum, qui genuflexi dixerunt ſi Deus poteſt mortuos ſuſcitare, poterit & hunc filium noſtrum ob merita ipſius ſanctiſſimi Viri, qui tantis coruſcat miraculis, & ad quem tota Vngaria currit, ſuſcitare, & ſic pariter vouerunt illum ad eius Sepulchrum deportare, quo facto voto, confeſtim puer cæpit conualeſcere, & ſtetit ſanus.

Libe-

Digitized by Google

Liberatus à mutitate, et percuſſione ſagittæ.

ANdreas de Bachia ſagittarius tempore guerræ ex vehementi ictu ſagittæ per totam diem non potuit loqui, ſed facto voto ad Beatum Patrem, & loquelam recepit, & à vulnere ſtatim ſanus eſt factus, quod etiam affirmant germanus ſuus Stephanus, & vxor eius Eliſabeth, quæ ipſum iam pro mortuo flebat.

Liberatus à carcere, et à periculo mortis.

DEmetrius Piſcata de Vylax captus in Achia tempore guerræ, & poſitus ad cippos, & in compedibus ferreis, ac iudicatus ſubmergi in aquam Danubij: comendans ſe meritis Beati Patris, & faciens votum viſitare ſepulchrum eius, & à carceribus, & à morte eſt liberatus, ſicut ipſe prædicto die iuramentò firmauit coram multis.

Morti proximus.

GEeorgius filius prædicti Demetrij ætatis quatuor annorum laborans in extremis, & quaſi mortuus iudicatus, facto voto per Patrem vna cum vxore ſua nomine Vrſula matre pueri, confeſtim ſanitati reſtitutus eſt, qui duo miraculum cum iuramento prædicto firmauerunt.

Non-

Non valens ambulare.

HElena relicta de Achiā per quinque menſes ita deſtituta fuit in pedibus, vt nullo modo limen domus ſuæ exire poſſet, ſed facto voto ad ſepulchrum viri Dei, ita conualuit, & ſana facta eſt, vt ſuis pedibus ipſum ſepulchrum viſitauerit, quod corā multis ante ſepulchrum publicè enarrauit prædicto anno, & die menſis aprilis.

Non valens ambulare, et in mortis articulo conſtituta.

ELiſabeth relicta de Buda cū per menſem, & vltra niſi pedibus & manibus ex infirmitate graderetur, aut cum maximo dolore ſuper duos baculos, ad tantum deuenit, quod non ſperabat ſe ſuperuicturam, hæc cum eſſet deuota erga Beatum Patrem, quadam nocte apparuit ſibi ipſe Beatus vir dicens, ne cures Eliſabeth, quia non morieris, ſed confitere peccata tua, & ſanaberis; quæ cum omnia ſacramenta reciperet credens omnino mori ita ſana facta eſt, vt quocumque vellet libera iret, ſanaque venit ad ſepulchrum die vigeſima quarta aprilis 1660.

Contracta.

ANna vxor Pauli litterati de Bachia contracta fuit à feſto Sancti Iacobi vſque ad natiuitatem Domini adeo miſerabiliter, quod iam genua, & os curuata tenebat, nec aliquo poterat remedio iuuari, ſed Deum penes ſe habebat; facto autem voto per eam ſepulchrum viſitare

nudis

nudis pedibus, nec vinum bibere donec votum eundo, & redeundò adimpleuerit, ſtatim ita ſana facta eſt, & recta, ac extenſa, vt nemo eam videns diceret ipſam talem infirmitatem habuiſſe, viſitauit ſepulchrum vnà cum ſua ſeruitrice nomine Catharina, hoc eſt notum toti Bachiæ, & ipſa iuramento firmauit die vigeſima quinta Aprilis anno Domini millesimo quadrigenteſimo ſexageſimo.

Patiens grauiſſimam rupturam, & liberatus.

EMericus Pelliſex de Zegdino habuit rupturam tam magnam, quod domum propriam nō poterat exire, vel vltra plateam ex poſito, niſi ligaret viſcera illa, & obſtrueret, quæ miſerabiliter deſcendebant ad genua, qui etiam deuouens ſe venire ad tumulum Beati Patris, vtcumque poſſet, & veniens per viam pro voto complendo, perfectè ſanatus eſt antequam peruemiſſet ad tumulum, quo cum lætus, & ſanus veniſſet talia coram multis retulit præſtito iuramento.

Digitized by Google

Aliqua miracula per Diuinam clementiam ad inuocationem Beati Ioannis à Capiſtrano in ipſo oppido Capiſtrani recenter patrata.

MArcus Celirius, & Adiutorius Achillis vterque Capiſtranẽſis ex oppido præter morem, & intentionem egreſſi, ad fluminis ripam, Deo inſpirante obambulantes, vbi Ioannes Bernardinus de Antonio diu à Demone vexatus, ſaxo ad collum alligato, iam iam ſe præcipitaturus erat, miſerum apprehenderunt; & cum domum reducerent, de tentationis origine, & progreſſu interrogatus, inter alia reſpondit, ſe, dum illi venirent, per B. Ioannem à Capiſtrano, cuius opem implorauit, fuiſſe in ripa retentum; qui etiam teſtati ſunt, maximam ex ejus ore flammam accenſam prodire vidiſſe.

IS idem Ioannes Bernardinus alia vice ſtricto ad collum laqueo in ſecreta ſuæ domus parte ſe ipſum ex alta trabe ſuſpendit; ſed poſtquam aliquandiu penderet, illuc caſu eius germanus frater venit Honuphrius Sacerdos, qui ad ſpectaculum territus, funem cultro ſcindens, graui lapſu ſuſpenſum ex alto ruere permiſit: ſed quem lapſus ipſe toto corpore luxare valeret, nec lapſu, nec laqueo læſus eſt, B. Ioannis à Capiſtrano auxilio, vt ipſemet affirmabat, ab vtroque liberatus.

EVidentius attamen tertiæ tentationis apparet miraculum, cum idem ſe alia vice ex altiſſima præcipitaſſet rupe, quæ mons Vallaera dicitur in confinibus Capiſtrani, & alterius oppidi, quod Ciuitatem Retengam vocant

cant; frater etenim eius Ioannes Baptiſta procul in valle laborans, alta voce vocari ſenſit, vt Ioanni Bernardino ſuccurreret, qui ex rupis ſummo auditus eſt B. Ioannis opem clamore valido implorare; ad cuius vocem territus Ioannes Baptiſta, ſe ipſum illicò, & fratrem B. Ioanni ex animo commendauit, & oculis à longè leuatis, germanum vidit infeliciter proiectum, & ſolum pedum ſummitate ab exili ſtipite in crepidine rupis, reliquo corpore deorſum pendentem; quamquam autem res deſperata videretur, B. Ioannis tamen confiſus patrocinio, integri milliaris, & medij iter montis cacumen cum Andrea de Antonio conſcendit, vbi conſtituti, ſe non poſſe præcipitato ſuccurrere ſine periculo ſeipſos præcipitandi conſpexere: nihilominus alioquin perituri fratris impulit compaſſio, vt impenſius inuocato Capiſtrano proprium contemnerent periculum: cumque Ioannem Bernardinum extremis ſaltem calceamentis comprehendere poſſent, ea ratione, iubente Deo illum retraxerunt: & à morte ſimul, & omni vlteriori Demonis infeſtatione liberatus eſt, ac deinde publicè prædicabat B. Capiſtranum à ſe, dum proruerent inuocatum, glorioſam ſuppoſuiſſe dexteram, ipſumque mirabiliter ſuſtentaſſe quandiu è ſtipidè pendere viſus fuit.

MAria Ioanna trimula puella filia Iulij Saluij in colle Caſtri Calaſcij propè Capiſtranum in lebetem aqua plenum delapſa, poſt aliquod temporis ſpatium tota tumida, ac nigreſcens inde extracta fuit, & quamquam videretur exanimis, medicum tamen vltra milliare diſtantem vocare placuit, qui cum veniſſet mortuam puellam pronunciauit, nec niſi à ſolo Deo vitam ipſi reſtitui poſſe. Quo audito, afflicti parentes Beati Ioannis auxilium fuſis præcibus inuocarunt, quibus

completis ad filiam reuerſi, iam illicò viuam inuenerunt, & ita incolumen, ac ſi nihil vnquam mali paſſa fuiſſet.

COlangelus puer etiam trimulus filius Franciſci Antonij de Colagnolo Capiſtranenſis cum matre ad fontem extra oppidum pannos lotura perrexit; cumque centum circiter paſſus ab ea diſceſſiſſet, in foſſam quatuor palmos altam miſerè cecidit, quod procul aſpiciens mater accurrit, ſed tantum abſuit, vt puero ſuccurreret, quod ad foſſam perueniens, nec videre quidem potuerit illum, ita turbida erat aqua ob canabim in ea macerari ſolitam; verum ipſa foſſam demum ingreſſa, iam turgidum, liuidumque filium, ac plane mortuum extraxit; quo inopinato ſpectaculo afflictiſſima Beati Ioannis opem implorauit, nec incaſſum, nam poſt mediam horam reuixit puer, & ita conualuit, vt ad manum, pro more ductus, matrem pedeſter in oppidum fuerit comitatus, prout ex actis Apoſtolica authoritate compactis liquido conſtat.

REcentiſſimum denique miraculum fide dignorum ſubſcripto teſtimonio ſignatum adiungo Ioannis Dominici ſcilicet de Rocco à Caruaria Ioannis Bernardini de Pompilio, & Ioannis Conſtantij de Bernardino eiuſdem Loci: quod eſt. Bernardinus à Michaele ex oppido Caruariæ in aprutio anno Chriſti 1660. per octo menſes toto corpore ſic impeditus, ac viribus deſtitutus, vt nulla parte ſe mouere poſſet, nec vllo humano remedio recuperare ſanitatem, quorundam piorum ſuaſu vouit ſe ad Capiſtrani ſacellum equo vehi curaraturum, nec citius votum emiſit, quam ſenſit ſe melius

lius habere, & aliquantulum illicò ambulare cæpit: ſed quia Deus voluit, vt votum nuncupatum adimpleret, non plenè poterat ſuis pedibus conſtanter ire, donec tandem equitando Capiſtranum proficiſcens votum ſoluiſſet, quo ſoluto, vniuerſo ſpectante populo Ceruariam ſuis pedibus ſanus, recens, ac robuſtus vti nunquam egrotaſſet abſque æquo, vel baculo rediuit.

Gloria igitur ſempiterna ſit Deo, eiuſque dilectiſſimo ſeruo Beato Ioanni à Capiſtrano.

DISTIN-

Digitized by Google

DISTINCTA MAGNORVM VIRORVM TESTIMONIA B. IOANNIS A CAPISTRANO

Eximiam vitæ integritatem, nec non operum inſignia, eiuſque mirabilia comprobantia.

Martinus Papa V. nono ſui Pontificatus anno ad B. Ioannem à Capiſtrano.

SALVBRITER prouidere volentes, ac ſperantes, quod tu, quem & accepimus teſtimonij fide dignis, conſtantia fidei, religionis zelo, vitæ munditia, & alijs multiplicum virtutum meritis Altiſſimus inſigniuit, per tuæ prudentiæ, & ſollicitudinis ſtudium labem huiuſmodi extirpare, & Orthodoxæ fidei fructuoſos palmites tranſplantare conaberis, &c.

Eugenius Papa IV. anno ſeptimo.

DVdum de prudentia, & integritate, cæteriſque virtutibus, quibus te earum largitor Dominus inſigniuit, &c.

Idem

Digitized by Google

Idem eodem anno ad Epiſcopum Caſtellanum, & B. Capiſtranum.

NOs igitur &c. horum conſideratione inducti dilectum filium Ioannem de Capiſtrano ſupra memoratum ad fraternitatem tuam duximus cum præſentibus diligendum, eiſque commiſimus, & mandauimus quatenus eodem tibi aſſiſtente, vos ſimul de huiuſmodi exceſſibus, & perſonis diligenter inquirere, & inueſtigare curetis; perutile enim fore, & negocio huiuſmodi conueniens eſſe putamus, Virum vitæ ſanctimonia, famæ integritate, ſcientia litterarum, & doctrina præſtantem tibi in hac re aſſociare, cuius conſilio, & auctoritate, veritate comperta, &c.

Idem anno eius duodecimo ad Capiſtranum.

NE itaque quiſquam eorundem fratrum dicti ordinis velamen excuſationis aſſumat ſub ignorantia dictæ noſtræ inſtitutionis prædicti Vicarij Generalis, te, de cuius vita laudabili, ſufficienti ſcientia, doctrina vtili, ſalutaribus exemplis, ac moribus Regularibus cæteriſque virtutibus, quibus te altiſſimus inſignuit experientia plurima ab annis multis ex quadam antiqua notitia, hac familiari conuerſatione, etiam dum eramus in minoribus cōſtituti fuimus, & ſumus plenariè informati, ad Prouincias Turoniæ, Burgundiæ, Franciæ, cęteraſque Prouincias vltra montanas duximus deſtinandum, ad notificandum prædictam noſtram conſtitutionem, nec non ad procurandum, tractandum, & concludendum pacem, concordiam, vnionem fratrum dicti ordinis, & reductionem eo-

rum

rum ad obedientiam noſtram, & vnius capitis dicti ordinis, &c.

Nicolaus Papa V. anno ſui Pontificatus quinto ad B. Ioannem.

SAlubriter prouidere volentes, ac ſperantes, quod tu, quem tàm magna experientia, quàm etiam teſtimonijs fide dignis accepimus, conſtantia fidei, religionis zelo, vitæ munditia, & alijs multiplicium virtutum meritis Altiſſimus inſignivit; per tuæ prudentiæ, & ſollicitudinis ſtudium, labem huiuſmodi extirpare, & Orthodoxæ fidei fructuoſus palmites transplantare conaberis.

Idem anno eius præfato ad Beatum.

DIlecte fili, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum nobilis vir dilectus filius Franciſcus Sforzia Dux Mediolani, ac populus Mediolanenſis, totaque liguria ex ore tuo Dei Verbum audire deſideret, quod nobis admodum placuit audiuiſſe cum indubiè habeamus, populos illos tuis prædicationibus, & monitis imbutos viam ſalutis electuros eſſe, charitatem tuam hortamur in Domino, vt poſtpoſitis omnibus, te ad iter quam primum dirigas, nam cum tempus quadrageſimale elapſum ſit, nulla te ocupatio detinere poteſt, vt credimus, quæ mentem tuam à tam ſalubri opere poſſit auertere. Datum Romæ apud ſummum Petrum ſub anulo piſcatoris die 10. Maij 1451. Pont. noſtri anno V.

Digitized by Google

Idem Nicolaus eodem quo ſupra dato ad eundem.

Cvm intellexerimus te in Regno Bohemiæ, & Marchionatu Morauiæ, ac partibus illis adiacentibus, Diuino tibi aſſiſtente ſpiritu, ſermonibus, ac predicationibus ad populum vigilanter inſudare, & vtiliter proficere, vt vniuerſorum Chriſti fidelium, qui ad te pro audiendo verbo Dei confluunt, augeatur deuotio, & dono cæleſtis gratiæ vberius ſe conſpiciant refectos deuotioni tuæ; omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus, quos prædicationibus tuis, celebrationi miſſarum, ac diuinis officijs pro tempore intereſſe contingent, quoties tibi videtur expedire, de Omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, atque noſtra authoritate verè pænitentibus, & confeſſis, tres annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis penitentijs miſericorditer relaxandi, illoſque eiſdem concedendi, & pronunciandi. nec non vt omnes, & ſingulas vtriuſque ſexus perſonas, quæ ſub vtraque ſpecie communicarunt, ac aliàs erroribus, hæreſi, & ſuperſtitione inuoluti, à ritu, & vnitate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ receſſerunt, ſi, apertis intelligentiæ oculis, ac per ſacram ſcripturam, & doctrinam tuam illuminati de tenebris ad lucem veritatis, prædictis erroribus, hæreſi, & ſuperſtitione relictis coram te, conciliari, vniri & incorporari voluerint Eccleſiæ Romanæ huiuſmodi, & Sedi Apoſtolicæ, à quibuſcumque excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti, alijſque eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, etiam hæreſis in eos, tam à iure, quàm ab homine promulgatis, quoties opus fuerit, in foro conſcientiæ dumtaxat, authoritate noſtra abſoluendi in forma Eccleſiæ conſueta &c.

Idem ad Capiſtranum.

AD ea ex Apoſtolicæ ſeruitutis officio libenter intendimus, per quæ ſaluti animarum fidelium conſulatur. Hinc eſt quod nos ſperantes, quod tu, qui in Bohemiæ, Morauiæ, & Auxtriæ partibus circa extirpationem hæreſum non abſque tuæ perſonæ diſcrimen labores ſubijſti, & continuo diſputationibus, ac predicationibus inſiſtendo ſubire paratus es, vt Chriſti fideles, ac alios à fide Catholica deuiantes, & ad veritatis lumen redire volentes, & feruentius ad id inducere, ac animare valeas, quo ſalutifera remedia eorum animarum miniſtrare poteris, diſcretioni tuæ authoritate noſtra quaſcumq; perſonas partium prędictarum, & à quibuſuis criminibus, exceſſibus, & delictis, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſemel dumtaxat, abſoluendi, nec non cum Religioſis, & alijs Eccleſiaſticis viris, in eiſdem partibus conſtitutis, qui ex quauis cauſa, vel occaſione, præterquam in homicidio, ſeu mutilatione voluntarijs, excommunicationis ſententia ligati Diuina, nō tamen in contemptum clauium, celebrando, aut alias ſe illis immiſcendo irregularitatis maculam, incurrerint, ſuper irregularitate huiuſmodi, iniuncta eis pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, & alijs quæ de iure fuerit iniungenda, ipſiſque ad tempus de quo tibi videbitur, à ſuorum ordinū executione ſuſpenſis eadem authoritate ſemel tantum diſpenſandi plenam, & liberam harum ſerie concedimus facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, & alijs contrarijs quibuſcumque præſentibus poſt biennium minimè valituris. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ 1451. 11. Kal. Martij Pontif. noſtri anno V.

Idem

Idem Nicolaus loquens de Capiſtrano adhuc viuente pluries dixiſſe fertur.

SI frater Ioannes à Capiſtrano decederet temporibus noſtris illico Sanctorũ Catalogo adſcriberemus eum, ità Vuading. tomo 6. & alij authores vitæ Capiſtrani.

Caliſtus Papa III. pluries B. Ioanni litteris conſcribens ait anno ſui Pontificatus primo.

FRagrantis tuæ laudabilis famæ odor à longinquis partibus ad Nos vſque perueniens, nec non opera charitate, & zelo domus Dei redundantia, fructus animarum in populis vberrimos afferentia promereantur, vt illa tibi libenter concedamus, per quæ aſſumptum à te onus, non ſolum à tramite fidei deuios, ſed diſcolos quoslibet ex Chriſtianis, & peccatores in ouile Dominicum per rectam ſemitam perducendi, eo facilius exequi poſſis, quo maiori fueris authoritate à Nobis, ac facultate munitus.

Anno eodem.

DIlecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem, & ſi deuotionem tuam libenter videremus, grataque nobis multum eſſet præſentia tua, tamen conſiderantes, quam ſalutares fructus iſtis in locis per te Deus poterit operari, quodque ad intentionem noſtram pariendę expeditionis in turcos ad quam indeffeſſo ſtudio intendimus, per maximè conducit, te iſtic eſſe, opuſque inceptum feruenter continuare, ideo deuotionem tuam hortamur, dilecte fili, & in virtute ſanctę Obedientiæ tibi per præſen-

tes mandamus, vt donec aliud à nobis in mandatis habueris, ex inclito Regno Hungariæ, & locis infidelibus proximis vbi vtilior eſſe poſſis, nullo modo diſcedas, ſed monendo, prædicando, & exhortando tam prælatos, quam Principes ſeculares, & Regni præfati Barones, populoſq; iſtos Sancti Petri deuotos omnia priuatim, & publicę opereris gratia cęlitus tibi data, quæ ad conſeruationem fidei criſtianæ, & euerſionem infidelium conducere arbitreris, in quo certè obſequium Deo gratum præſtabis, & iſtis periculoſis temporibus maximè neceſſarium. Nos autem poſt abſumtionem noſtram ad huius ſummi Apoſtolatus apicem ad hoc ſanctum opus ſedulò efficacem operam dedimus, & quantum donare nobis Deus dignabitur, daturi in poſterum ſumus, firmiter ſperantes auxilia opportuna à nobis, cæteriſque Criſtianis Principibus cito affectura; qua ex cauſa te iſthic eſſe hoc tempore maluimus quem etiamſi hic haberemus neceſſario ad iſta loca mittendum arbitraremur. Tu igitur iuxta datã tibi à Deo gratiam, & prudentiam ad cauſam fidei animosè te accinge, & nobiſcum in tanta re, tamque ſalutari cooperare quod potes, confidens in Domino, qui dat gratias, & largitur præmia, quod his noſtris laboribus piæ ſuſceptis exitum concupitum miſericorditer prętabit. Datum Romę apud S. Petrum ſub anulo piſcatoris die 20. Iulij 1455. Pontif. noſtri anno primo.

Anno ſecundo.

CONtinuo teſtimonio dilecti filij Ioannis Sancti Angeli Diaconi Cardinalis noſtri, & Apoſtolicæ Sedis Legati intelleximus, quanta diligentia incumbas, non ſolum ad ſolerter obeundum munus legationis tibi iniunctę, ſed cætera perficienda, quæ conducere ad ſanctum hoc opus fidei exiſtimas, quod certè, & ſi ita eſſe nobis perſuadeba-

debamus, tamen huiuſmodi tuus zelus noſtram in te dilectionem adauxit, ac quamuis tibi, & cuique Chriſtiano hęc communis cura ſit debita, nihilominus deuotioni tuę gratias agimus, teque hortamur, vt quemadmodum cæpiſti, ſine intermiſſione proſequaris in cauſam hanc Dei, viriliter agendo, & infra

Ideo cura dilecte fili, vt opera, exortationibuſque tuis præſtetur Chriſtianitati obſequium beneplacitum, quo certè nullum eſſe tibi gloriosius, aut maioris apud Deum meriti poterit.

Eodem dato.

NOn dubitamus, quin ad conſequendam hanc glorioſam contra Turcas victoriam, deuotio tua verbo, ac opere magnum adiumentum præſtiterit; ſic enim ex relatione multorum, & in primis Legatorum noſtrorum, quos illic habemus, ſæpè intelleximus, quare cum Deo omnipotenti largitori tanti muneris ſempiternas gratias habeamus, tuum quoque in hoc feruens ſtudium meritò commendamus, cuius opera, & animi fidelium ad reſiſtendum ſunt confirmati, & cętera facta ſunt, quæ priuatim, & publicè maximè profuerunt. Habebis horum benefactorum tuorum verum remuneratorem Deum, cui hæc fiunt, noſque tanti operis nunquam erimus immemores. Hortamur autem deuotionem tuam, & ex corde requirimus, vt conſtãter in incepto perſeueres, & nunc maximè ad communem ſalutem ſuſcites ſpiritum tuum, cum Redemptor noſter miſertus populi ſui præbuit te Ducem victoriæ, datque ampliſſimam facultatem renouandi in his partibus nominis ſui ſancti, vnde illud barbarorum impietas ſuſtulerat; nec ceſſes die, ac nocte aſſiſtere dilecto filio noſtro Ioanni S. Angeli Diacono Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato, ac ſancta opera eius zelo

tuo

Digitized by Google

tuo iuuare, hortari gratia Chriſti tibi cælitus data, Prælatos, Barones, Nobiles, ac totius regni Hungariæ populos, vt ſequantur Crucem Ieſu Chriſti, &c.

Anno quo ſupra.

MEntem, & charitatem noſtram erga te, deuotionemque, & incredibilem ardorem, quem ad deſtructionem totalem perfidi Turcæ, & omnium infidelium habemus, eidem Nuncio diximus, & paulò infra.

Certa pro Chriſti fide, vt cæpiſti dilectè fili, vt coronam debitam valeas reportare.

Eodem anno ſecondo.

IAm clauſis literis ad gloriam Dei, & conſolationem tui, deliberauimus tibi mittere copias hic incluſas literarum noſtrarum per orbem Chriſtianorum à nobis miſſarum, & inter aliàs cariſſimo in Chriſto filio noſtro Francorum Regi Carolo, Illuſtri, & Domino Venetorum, & ferè ſimilium Ianuen, Regi Aragonum, & alijs Regibus, & Dominis Chriſticolis, vt nobis aſſiſtant, nobiſcum concurrant ad liberandam Europam, Aſiam, & Terram ſanctam, & ad totalem exterminationem perfidi nominis Mahometi, ad quod *Te inuictum Dei præconem, & iam in vita ferè martyrem in Domino exhortamur.* Vt ipſos proſequaris intrepidè, victoriam & proſequi cures, ſicque de facili recuperabitur Conſtantinopolis, & ſupradicta optatum finem, Domino dante, feliciter obtinebunt.

Idem

Digitized by Google

Idem pontifex anno eius tertio Hungariæ Regi.

EN igitur mittimus illuc dilectum filium noſtrum fratrem Iacobum de Marchia Ordinis Minorum profeſſorem. ſeruum Dei, & militem Chriſti ardentiſſimum, cuius tum doctrina, & ſanctimonia vitæ, tum feruore, & charitate recreabuntur animi Chriſti fidelium: *Nam cum ſuperiore anno acerba quidem, ſed glorioſa ſibi mors nobis eripuerit fratrem Ioannem de Capiſtrano, hic erit operum ſanctorum illius, & glorioſi laboris ſucceſſor.*

Breuis commendatio Aeneæ Siluij Senenſis deindè.

Papæ Pij II. Sanct. Mem.

In Beatum IOANNEM de Capiſtrano.

IOANNEM hunc Capiſtranum, cum Legati Friderici Cæſaris plurimorum verbis commendatum accepiſſent, quem virum doctum, & Apoſtolicæ vitæ ſectatorem rumor aſſerebat, literas Nicolai Pontificis ad eum impetrant: quibus in Auſtriam illi iter mandatur. Ibi, ex arbitrio Cęſaris monaſteria minorum aberrantia reformet pacemque populis prædicet, & viam vitæ in veritate doceat; quas literas mox Legati ad Ioannem miſere, & ipſi ex Vrbe redeuntes, Senis, Florentiæ, Bononiæ, Ferrariæ, Venetijſque cum Principibus, ac Magiſtratibus Vrbium: de tranſitu Cæſaris tranſegerunt: nec quenquam aduerſum inuenere; vniuerſi honorem, aditum, commeatumque Cæſaris lætis animis promiſere: per idem tempus Ioannes de Capiſtrano ex Apoſtolica iuſſione Teuthoniam

triam ingreſſus eſt: ac per Carinthiam, & Stiriam venit in Auſtriam, cui Sacerdotes, & plebes cum ſanctorum reliquijs obuiauerunt, eumque veluti Apoſtolicæ ſedis legatum, vt veritatis predicatorem, vt magnum aliquem prophetam, vt Dei nuntium ſuſceperunt, & quaſi, vel Petrus, vel Paulus, vel alius Apoſtolorum illa iter faceret. Omnes accolæ Montium deſcendere, Ioanni occurrere, veſtimentorum eius fimbrias auidè cõtingere, egrotos, & malè habentes ante pedes eius attulere, e quibus pleroſque ſanitati reddidit. Moratus eſt autem in noua Ciuitate dies aliquot viam Domini prædicans mortaleſque omnes ad pœnitentiam vocans. Interea magna miraculorum fama Viennam oppleuit aduenisse Cæſaream (ſic enim nouam Ciuitatẽ nonnulli vocitant) ſanctum virum, vt Dei Apoſtolum, qui morbos pellat, qui viam Dei in veritate doceat, qui pecuniam ſpernat, honores fugiat, abſtinentia viuat. Concurrunt tumultuantes ad eum plebes, nec ſe tam diù victuras putant, donec viſere hominem queant. Maiores natu, & Principes Ciuitatum ad eum legantur, qui eum Viennam adducant, timebant enim ne vel retro Italiam rediret, vel in Hungariam alio itinere, poſt habita Vienna, proficiſceretur, quam rem ſibi iacturæ magnæ probrique loco ducebant. Inuitatus autem Ioannes Viennam petit, tantus vndique populi motus fit, tantus concurſus, vt nulla capax multitudinis platea inueniatur; quocumque tranſitus illi eſt, viri, ac mulieres impetum faciant præmere alter alterum, intueri ſatagentes virum, lachrimas lætitiæ deuotioniſque mittere, leuare ad cælum manus, benedicere venienti, laudare mittentem, tangere, oſculari, qui propè ſunt veſtimẽta veluti è cælo miſſum, & Angelum Dei reſpicere. Apud minores deinde ſui Ordinis (non ſuæ vitæ) fratres exceptus eſt. Ibi cibaria ſibi, ſuiſque comitibus, publicitus miniſtrata ſunt. Vitam in hunc modum apud Viennenſes ducere viſus eſt, veſtitus

dor-

dormire, ante lucem ſurgere, Matutinum, laudes, primam tertiam orare, diuina exinde celebrare: his peractis ſermonem ad populum latinè pronunciare. Poſt hæc interpres quæ dicta ſunt ab eo (quantum capax eſt exponere populo, tres aut amplius horæ labi priuſquam fiat interpretatio, loco ſublimi apud Carmelitas in foro, vt inde ſermocinaretur, extructo, nam capi alibi multitudo non potuit, finito ſermone ad cęnobium ſui ordinis reuerti, ac ſexta, ac nona completis, infirmos viſere, diù apud eos morari, manus omnibus imponere, biretum Sancti Bernardini, & cruorem, quem illi mortuo è naribus fluxiſſe ferunt ſingulis egrotantibus admouere, quos raro infra quingentos fuiſſe conſtat; precari ſupplex pro omnibus, exinde cenare; demum his, qui ſe accedunt audientiam præbere, mox veſperas dicere, hiſque completis ad egrotos reuerti, atque cum his vſque ad noctem ſe exercere, tumque demum completorio, & alijs dilectis præcibus expletis, corpus quieti dare minimum eſſe, quod ſomno indulſit ad reuiſendos Sacræ Scripturæ Codices pauxillum furari temporis, ſic homo quaſi Cæleſtem vitam in terris agere immaculatam abſque ſorde, abſque peccato, quem puſillum corpore Viennę vidimus ætate ſenecta anno, (vt ipſe aiebat) quinque & ſexaginta habentem, ſiccum, aridum, exhauſtum, ſola cute, neruiſque, & oſſibus compactum, lætum tamen, & in labore fortem, ſine intermiſſione ſingulis diebus prædicantem altas atque profundas materias; abſo utionem doctis, & rudibus ſatisfacientem auribus mentes demulcentem affectus (quo volebat) impellentem, ad cuius ſermonem dietim viginti, & triginta hominum millia confluebant, maiorique ipſum attentione, quamuis non intelligerent, quàm interpretem, audiebant. Cum mos illi eſſet totum ſermonem latinis verbis pronunciare. Deinde locum interpretanti facere: At hic poſtquam nouum ſui cœnobium erexit, in Morauiam

profectus eſt, multoſque huſſitarum ab errore reuocauit. Hunc & Cæſar cupidè audiuit, multiſque ſermonibus eius interfuit, ac veſtimentis cum ſacerdotalibus donatum dimiſit. Hæc ex Cronicis Pij Papæ ſupradicti.

Idem Aeneas de Europa cap. 5.

IOannes Capiſtranus Ordinis Minorum profeſſor, vitæ munditia, & inter prædicatores Euangelij noſtro tempore, inſignis.

Itidem cap. 23.

IN hac prouincia Morauiæ Barones fermè omnes Huſſitarum labe infecti ſunt. Hic cum verbum Dei prædicaret Ioannes Capiſtranus, & in errores Huſſitarum vehementius inueheretur, Baronis nō parui nominis, (quem ezernahoram vocant) ſecuta conuerſio eſt, qui relicta priore perfidia cum duobus millibus ſubditorum veritatem Romanæ ſedis amplexus eſt; Filius eius doctrina, & moribus clarus non diu poſtea Olomuzenſis Eccleſiæ Pontificatum obtinuit: ea eſt vnica ciuitas Morauorum Epiſcopalis.

Idem de moribus Germanorum de ipſa Eccleſia loquens.

ECcleſia Olomuzenſis ſub Calixto vacans, Prothaſio nobili adoleſcenti, & litteris apprimè erudito, quem Canonici petierunt, commiſſa eſt; nam quamuis pater eius olim Eccleſiam perſequeretur Huſſitarum labe infectus, predicante tamen in Morauia Ioanne Capiſtrano

Sum-

Digitized by Google

Summi Nominis Theologo, cum omni familia ſua hæreſim abiurauerat, ex perſecutore religionis tutor effectus.

Idem B. Ioanni ſcribens.

Videbit te libenti animo quouis tempore Maieſtas Imperatoria, ac velut Apoſtolum Chriſti veneranter amplexabitur; erit quoque præſentia tua diuæ Auguſtæ ad ſingularem lætitiam: quæ quoniam multa de præcellenti doctrina, vitęque tuæ Sanctitate ex auditu didicit, magnoperè cupit tuis aliquando ſermonibus intereſſe, videre, & audire te predicantem, & dulcedinem cæleſtis eloquij deguſtare; *& paulo infra inquit.*

Fateor ego, tuam præſentiam in hac ciuitate, & in hoc populo ſemper futuram vtilem, ſed multò magis Eccleſiæ Dei conſules, ſi, congregato conſilio, huc venis; nam, quemadmodum Franckfordiæ mẽtes hominum ad tuendam religionem tuis ſermonibus erexiſti, ita & in hoc loco, ſi quis tepor, & ſomnolentia fuerit, te vrgente, atque increpante, pelletur. Et parum infra.

Titubant, vt video, mentes Principum, torpent Reges, languent populi, Nauicula piſcatoris grandioribus eliſa procellis in medio mari plenè demergitur, Flant hinc, atque illinc contrarij venti, ſcinduntur vela, frangitur malus, carina dehiſcit, nulla remigibus cura, neque Magiſtro ſpes ſalutis eſſe videtur. Omnes quaſi attoniti tempeſtati credimus. Opus erit igitur ſermone tuo, calcari tuo, igne tuo, excitandi, vrgendi, incendendi ſumus, niſi compellimur benefacere, noſtrapte ingenio nihil eſt quod de republica cogitemus, atque vtinam vel compulſi aliquando vigilemus.

Eiuſdem epiſtola ad Cardinalem firmanum tunc Ordinis Seraphici Protectorem.

SCimus quantum ſub Bernardino Senenſi, iam ſupernę Ieruſalem Curiæ, hęc Religio Eccleſiæ Catholicæ profuerit, quantumque modò ſub fratre Ioanne de Capiſtrano vtilitatis attulerit; & quid hæc Religio aliud agit, quàm quæ iubere nouimus Euangelium? ſentes, ac tribulos ex agro Dominico diuellit, ſemen bonum ſeminat, zizaniam ac lolium ſarculo veritatis præcidit, exterminat auaritiam, pellit libidines, fulminat illecebres voluptates, ſtrangulat ambitiones, & odia fugat, ignauiæ, ac ſocordiæ ſtimulum adigit, & aperiens in Eccleſia ædibus ſingulis os ſuum penitentiam ſuadet, & viam Domini in veritate docet, *& paulo infra.*

Frater Ioannes à Capiſtrano homo Dei eſt; populi Germaniæ quaſi Prophetam eum habent; poſſet, cum vellet, eleuato digito, magnam turbam facere.

Diuus Antoninus Archiepiſcopus Florentinus part. 3. Hiſt tit. 22. cap. 14. §. 1.

CHriſtianæ cohortis duce digniſſimo, preſente quoque venerabili religioſo fratre Ioanne de Capiſtrano Ordinis minorũ, viro optimo, & meritis apud Deum, & homines eximio, nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti (in quo ſalus noſtra conſiſtit) fiducialiter, & aſſiduè ab omni populo circũſpecto voce vnanimi inuocato; vexillo quoque ſanctiſſimæ Crucis cum magnis clamoribus, & lacrymis eleuato ad Cælum, vnde ineffabile (vti à cũnctis dari ſperabatur) aduenit auxilium.

Epi-

Digitized by Google

Epiſtola Cardinalis Dioniſij Archiepiſcopi Strigonien, & Andreæ Epiſcopi Quinqueclesien ad Capiſtranum.

POſtquam audiuimus de exitu paternitatis tuæ ab Italia, & de doctrina ſalutari, ac ſanctitate vitæ, ſemper magno deſiderio optauimus, & audire te docentem, & iucunda tua couuerſatione frui, cum verò certi ex nobis ſermonis tui dulcedinem, dum nuper in Auſtria officio Legationis fungerentur, deguſtarent, maiori charitatis feruore accenſi, ſicut tunc illi paternitatem tuam inuitarunt, atque apud eandem inſteterunt, vt hanc patriam, noſque viſitaturus accederet, ita & nos modò rurſum renouatis præcibus paternitatem tuam requirimus, rogamus, & obſecramus in Domino, vt ad nos vſque venire non grauetur.

Relatio præfati Cardinalis Dioniſij, Raphaelis Archiepiſcopi Colocen, Ladislai Agrien, & Ioannis Varadien Epiſcoporum ad ſummum Pontificem Caliſtum III.

HAbemus inter has expectationis anguſtias confortatorem idoneum venerabilem fratrem Ioannem de Capiſtranô Ordinis minorum, qui, peragratis multis partibus Alemaniæ adierat Poloniam, inde per Sleſiam, ac Morauiam iterato regreſſus in Auſtriam, conceſſit tandem ad has partes clarus vbique in fidei zelo, clarus in doctrina, apud nos verò pro conditione rerum noſtrarum exhortationibus neceſſarijs clariſſimus: Huius ſermonibus recreamur, huius deuotione reficimur, huius denique merito

merito familiam totam Ordinis illius hactenus nobis charam, de cætero chariorem amplectimur, vtilis eſt ſtatui noſtro, opportunus ſpei, & nec minus gerendis rebus quàm maximè neceſſarius, pro qua &c.

Cardinalis Sbignei Epiſcopi Cracouien ad Capiſtranum.

QVanto ſtudio, quanto deſiderio, & amore flagrabam, vt præſentiam tuam mihi, & Diœceſi meę exhiberes, & ego aliquando coram poſitum intuerer, quem diligere, & admirari cæpi priuſquam noſſe, & geminatæ meæ literæ, quibus te inuitando eſſe forte moleſtus non deſtiti, teſtes ſunt, & mutuum charitatis tuæ pectus non ignorat, *& parum infra.*

Præſtitiſti ſiquidem Morauiæ, Bohemiæ, Miſniæ, pluribuſque alijs regionibus præſentiam tuam; magnam è Sathanæ faucibus animarum peruerſo dogmate ſeductarum repuiſti predam; in breuiſſimo temporis interuallo plurimorum mortalium cõuerſionem confeciſti; ad quod aliàs præſepe diffuſi temporis ſpatium fruſtrà doluimus impenſum. Præſta quæſo, & mihi, & Diœceſi meæ pręſentiæ tuæ ſolatium; non tam gratè venies, quam gratius, & à me, & à populo excipieris, pro qua &c.

Cardinalis Belarminus de poteſtate Papę.

BEatus Ioannes de Capiſtrano, qui doctrina, & miraculis Eccleſiam Catholicam illuſtrauit,

Car-

Cardinalis Sancti Angeli ad Beatum Capiſtranum.

MAximam fiduciam habet S. D. N. quod diuina virtus miniſterio vocis veſtræ permaximè induxit hos populos ad capienda arma, nè rugiens iſte hoſtis, diaboli miniſter venerantes Chriſtum deuoret. Velit ergò veſtra deuotio miniſterium ſuum præbere, & cooperari cum Domino noſtro, qui omnia cum tanta vigilantia facit, vt obuiet noxijs deſiderijs Principis Turcarum, vt de ſanctitate ſua meritò dicatur: ecce non dormitabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſrael; & quia ex multis nobis conſtat, quod vox prædicationis veſtræ, ingenium, & induſtria maximè erunt profutura in partibus iſtis, rogamus deuotionem veſtram, quod alijs quoque literis præcati ſumus, vt veniatis Budam, vbi nos in breui, Deo opem ferente, conſtituemur, ita enim iuſſit, & mandauit S.D.N. vt quam primum conueniremus cum paternitate veſtra; vt aliqua intelliget à nobis veſtra paternitas, nos quoque inſtruemur ab eadem, & ſic conferentibus Miniſtris Chriſti ſalus Chriſtiani populi probabitur.

Cardinalis Ludouici Patriarchę Aquileienſis ad eundem.

INtelleximus quanto ardore, & ſollicitudine veſtra paternitas pro communi Chriſtianorum ſalutę laboret, idque nobis facile perſuaſit, iam diu cognita vitæ probitas, ſanctis operibus comprobata. Hortamur autem, vt in hoc propoſito eo libentius perſeueret, quo certius nouit ſummum Dominum Papam ſe in eodem opere habere ſummè concordem &c.

Eiuſ-

Digitized by Google

Eiuſdem ad eundem.

QVia ſemper vos nouimus in opere Dei intentum,& veritatis amicum, & elaborare continuo, vt ſolus animabus parere,tam ſanctimonia, & prędicatione,quàm moribus & vita, audemus de vobis confiſi, charitatem veſtram requirere, vt Dei intuitu, & Sanctiſſimi Domini noſtri, & Noſtri, qui vobis,& veſtris Sanctiſſimæ Religionis ſumus prò debito noſtro affecti, vt dignaremini opportuno tempore &c.

Alia Cardinalis Sancti Angeli ad B. Ioannem.

ET si Sanctiſſimus Dominus veſtræ paternitati ſcripſerit, nè ab Hungariæ partibus, durante magno hoc Chriſtianitatis periculo, diſcederet, ego quidem credo, ſuę Sanctitatis intentionem eſſe,vt illuc verſetur circumſpectio veſtra, vbi maiori detrimenta hoſti, & potiora compendia fidei poſſitis conferre. Pro certo noui, quod vtile ſatis,& proficuum erit, ſi veſtra paternitas velit, Viennam ad Imperatorem proficiſci,quia celerius,& in maiori numero mittet ſuum exercitũ Germanorum. Ego vellem, sì fieri poſſet te habere in pluribus locis, quia noui quantum valeas, & poſſis apud omnes, & quantum V. P. poſſit vbique facere. Omnipotens Deus veſtram P. conſeruare dignetur ad opus Sanctum Euangeliſtæ in quod vos ſegregauit, &c.

Cardinalis Antonij Bononiæ nuncupati Epiſcopi Oſtienſis ad ipſum de quo loquitur.

SIncera dilectio,quæ ad perſonam noſtram probata experientia gerere comprobat,nec non obſeruantia tuę Reli-

Religionis, in qua modernis temporibus vitæ ſanctimonia, documentis, prædicationibus, exemplis, alijſque virtuoſis operibus plurimis pollens, meritò excitant mentem noſtram, vt te apud nos cariſſimum faciamus, nos igitur, &c.

Præmiſſi Cardinalis Epiſcopi Cracouienſis ad Capiſtranum.

SI literis meis ſuperioribus venerande, & celebris vir frater in Chriſto Ieſu colendiſſime, aduentum felicem tuum in Poloniæ Regnum, & Diœceſim meam Cracouienſem multiplici præce, & perſuaſione expetij, & vt pro mea, & plebis meæ conſolationem venire in has oras dignareris per nomen Domini Ieſu obteſtatus ſim, nec erubui homo ignotus fidei negocijs, te in Bohemia, & morania occupatum, ad veniendum huc inuitare. Maiori nunc animo, & ſpiritu actas præces meas reſumo, vel vt verius loqui debeam, repeto promiſſum; multa enim concurrunt, quæ mihi & verba, & animum ſubminiſtrant; benigna & ſuauis reſponſio, propitia & clemens repromiſſio tua non mihi ſolum, ſed & Sereniſſimo Principi D. Caſimiro Regi Poloniæ facta Summi Pontif. Nicolai PP. V. iuſſio tuæ charitati, mea inſtantia ſcripta, & pridem mihi literis ex Vrbe ſignificata, Bohemorum deinde gentis obſtinata durities, quam eiſdem literis meis tibi ſum vaticinatus, quæ nec ſana & cæleſti doctrina tua, nec prodigiorum multitudine poterat molliri, *& infra*. Audio ſiquidem te, Pater Venerande, Bohemos liquiſſe multis probris, & contumelijs ab illis pro nomine Domini noſtri laceſſitum, &c.

Eiuſdem reiterata ad eundem.

VEnerande Pater, & in Chriſto Fr. Amātiſſime commendandus eſt plurimum zelus veſter in hæreſum extirpatione pro debito officij noſtri, hactenus in captione Magiſtri Pauli de praga demōſtratus, *& infra*, cum non ſolum meo, ſed etiam aliorum prudentum, & doctorū iudicio doctrinæ prędicatio veſtra non aliud reſonet, niſi plantationem morum, & virtutum, & hæreſum, vitiorumque extirpationem, nec ab aliquo ſanæ mentis corrigi poſſit, &c.

Eiuſdem pariter.

SPerans P. V. ſalubri ſua doctrina ampliorem plantari profectum in populo huius patrię, quem adeo dilatauit, vt ſingula monita V. P. plus ipſe ſingulari deuotione obſeruet, & proſequatur, ſæpè numero P. V. regreſſum ſuſpirans, & exorās; ſed & ego pro meę deuotionis feruore quo V. P. afficio, non minori affectu id euenire deprecabar. Inde hactenus hic ſubſtiti, & ſubſiſtere ampliori tempore nihil faſtidirem, ſi quæ ſpes extaret mihi de veſtra reuerſione, quam non inanem iudicare præſumi, tum pro deuotione populi ex ſanctimonia veſtra accenſi, &c.

Cardinalis Auguſtani ad Pontificem Pium II.

BEatiſſime P. & Clementiſſimè Domine, poſt deuotiſſima pedum oſcula beatorum, quantis virtutibus, meritiſque beatæ memoriæ Fr. Ioannes de Capiſtrano, dum in humanis ageret, claruerit, nedum vna, ſed plures per orbem nationes cognouerunt, & præ alijs cunctis, V. Beatitudo nouit optimè, quot ſanus doctrinis Eccle-

ſiam

ſiam Dei edificauerit; propter quæ apud infinitas fidei Chriſtianæ perſonas eius multa deuotione celebris memoria colitur. Vnde & imperatoria maieſtas, ac fratres Ordinis S. Franciſci de Obſeruantia, multis clarere miraculis aſſerentes eundem, illius canonizationem ſua deuotione deſiderantes, requiſiuerunt, & per me ad hoc opem conferri. Cum autem, clementiſſime P. hoc, ſcilicet deſiderium, iuſtum, & rationabile videatur, ſupplico propterea clementiæ veſtræ deuotis precibus, quatenus circa hanc materiam preces offerendas miſericorditer exaudire dignetur; in ea ſingularem gratiam mihi, & multis Chriſti fidelibus conferet beatitudo veſtra, quam omnipotens Deus pro felici ſtatu ſanctæ matris Eccleſiæ feliciter dignetur conſeruare. Ex Ratisbona die 22. Octobris anno Domini 1462.

Nicolai Cardinalis de Cuſa ad Bohemos.

HOmo vtique à Deo miſſus, cui nomen frater Ioannes de Capiſtrano vir religioſiſſimus potens opere, & ſermone, non ceſſat ex fundatiſſimis ſcripturis errantes Iacobellianos ad veritatem indefeſſis laboribus reuocare.

Matthei Epiſcopi Tranſiluani ad Capiſtranum.

APertiſſimè magis conſolaremur ex mutuo hinc inde conſpectu, familiarique cognitione tàm glorioſi Patris, qui miris coruſcat noſtro æuo, & miraculis, & virtutibus, qui noſtrum ſæculum ornat præclaris moribus, ſaluriferiſque ſuis doctrinis penetrauit vniuerſum Orbem, quoniam multos exemplo ſuæ ornatiſſimæ vitæ attraxit, cuius ſereniſſimas virtutes, non modo homines, ſed etiam ipſa facta loquuntur, in quo veluti ſol, præcipuè, ea cun-

cta relucent, quibus humana integritas, & religioſa firmitas laudari ſolet, & gloriari, &c.

Angeli Epiſcopi Reatini ad Cæſaream maieſtatem.

MEmini bonę memoriæ Reuerendiſſimum D. Dominicum Cardinalem Firmanũ germanum meum ſæpius, ac ſæpiſſimè ea verba referentem audiuiſſe, non putare ſè alterum in Religione Beati Franciſci per ſua tempora vidiſſe, quem Fratri Ioanni de Capiſtrano vel ſanctimonia, & vitæ peſectione, vel verbi Dei miniſtratione efficaciori præferendum arbitraretur.

Franciſcus Gonzaga Epiſcopus Mantuanus de Orig. Seraph. Relig. loquens de Beatis.

BEatus Ioannes à Capiſtrano ex Brutiorum oppido, non longè ab Aquila, Chriſtianę religionis Prędicator inſignis, & acerrimus vitiorum oppugnator: in Stiria, & Carinthia miraculis claruit; accolę eius veſtimenti fimbriam, dum viueret, contingere affectabant, & hodie ab Hungaris maximè colitur ob ſtupenda miracula, quæ Deus optimus maximus anno Dominicæ Incarnationis 1450. apud Belgradum in die Beatæ Marię Magdalenæ, dimicantibus Chriſtianis contra infideles, operari ob eius merita dignatus eſt.

Petri Epiſcopi Chanad ad Capiſtranum.

EN tranſmiſimus ad veſtræ Sanctitatis conſpectum, honorabilem Dominum Aquilam præpoſitum Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Saluatoris, Canonicumque, & Archidiaconum noſtræ Eccleſię Chanadicenſis ad ſcrutandum veſtrum aduentum gratioſum huc ad noſtram Dioe-

Diœceſim, præſertim verò Chanad. Quarè petimus, rogamus, & ſupplicamus ex intimis veſtræ Reuerendę Sanctitati, quatenus etiam ad iſtas partes prælibatas veſtra deuota reuerentia pergere ſuum iter non deſinat, ſed exhibeat nobis ſuum benignum aſpectum, ſicut, & cæteris. Ideò petimus informari per hunc portitorem, quo die, quali ſeptimana ad nos V. R. expectare debeamus, nam totum capitulũ, & tota Ciuitas maximis ſuſpirijs veſtrum præſtolantur aduentum in Ieſu Chriſti nomine valeat.

Friderici Imperatoris ad Pontificem Nicolaum.

MVltum hęc ſancta familia ſub D. Bernardino Senenſi, quem V. B. cæleſtibus ſanctorum adſcripſit Ordinibus, ampliata eſt; multum etiam ſub venerabili, ac mundiſſimæ vitæ Patrę, & optimo Prędicatore fratre Ioanne de Capiſtrano creuit, atq; profecit. Omittimus quæ in Italia, quæue cęteris in regionibus per fratres huius plantationis geruntur, quos vbiq́ue viam Dei in veritate docere non ambigimus.

In hac certè Germania noſtra frater Ioannes ipſe, & qui eum ſequuntur, plus vtilitatis attulerunt, quam noſtris poſſit literis exponi.

Etenim cum prędicet hic vir Dei aſſiduè, cum vitia fulminet, virtutes extollat, mortaleſque omnes ad pœnitentiam euocet, neque quicquam ſit, quod in eius, aut ſermonibus, aut actibus reprehendi poſſit, ſintque omnia eius opera digna laude.

Regis Hungarię, &c. ad B. Ioannem.

QVantum maieſtati noſtræ diſplicibile fuerit veſtræ Paternitatis infirmitatem audiuiſſe, propter quam deſi-

deſideratus ad nos acceſſus veſter adhuc retardatus fuit, non poſſumus literis exprimere, cum deſiderium noſtrum de die in diem augeatur; nunc verò cum veſtram optatam conualeſcentiam audiuerimus, iteratis literis rogamus P. V. vt, ſi ſano modo fieri poſſit, eadem frui poſſimus præſentialiter ad honorem Dei,& ſanctæ fidei catholicæ augmentum,noſtrorumque Regnorum, amplique regiminis ſanctis veſtris conſilijs, & fauoribus vtilitatem. Cum enim pro ſolito more mundus iſte diuerſis occurrentijs agitetur, nihil eſt quod magis optemus, quàm veſtram pręſentiam, & ſanctis admonitionibus, & conſilijs potiri. Ob hoc autem, &c.

Eiuſdem ad præfatum.

QVamquam illius, à quo omne datum eſt optimum, & donum perfectum gratioſè muneri præditi ſumus, vt aliorum explicantium verbum Dei ſalutiferas doctrinas à quibus cæleſti pabulo reficimur, libenter audiamus, tamen affectuoſius perſonam veſtram euangelizare, & ſanctis operibus conſpicere deſideramus; hinc eſt, quod ex veſtra nobiſcum præſentia, Deo auſpice, fructum nobis euenire vtilem, ſalutique animarum congruentem indubiè ſperantes, deuotionem veſtram ex corde, pręce attenta, rogitamus, quatenus quanto citius poteritis ad nos, & populum terrę noſtræ Auſtriæ, qui antea veſtra fęcunda facundia ſuaui delectatione reſperſus eſt, denuò reſpergi poſſit ad diuini nominis honorem, & gloriam, exaltationem catholicæ fidei, ſalutemque fidelium, ſalutaria documenta percepturus. Vos huc Viennam conferre non denegetis nobis in complacentiam benè gratam, & pro vt vos, & ordinem veſtrum tueri præſidijs, fauoribus proſequi, & beneficijs volumus, & teneamur confouere. Datum Viennæ, &c.

Caſi-

Digitized by Google

Caſimiri Poloniæ Regis ad Nicolaũ V. ſummũ Pontificem.

ACcedunt prætereà venerandi, & Religioſiſſimi viri fratris Ioannis de Capiſtrano præclara merita, miranda, ſtupendaque geſta, quibus non modo nos, populuſque noſter, ſed Germania tota ingenti animo gauiſa eſt. De quo quidem optimo viro, & ſi multa fama referre audiueramus omni celebratione digna, non tamen videntibus oculis, & noſtris palpantibus manibus, relata omnia vera comperiſſe, & Deo laudem, qui dignatus eſt viſitare plebem ſuam, & veſtræ ſanctitati plurimas gratias habemus, qui in has noſtras oras virum opere, & ſermone potentem tranſmittere curauit. Magnum equidem, & excellens munus B. P. hunc Dei ſeruum diuinitus accepiſſe prè cunctis viuentibus hac noſtra ætate cenſemus, vt ſcilicet claudis greſſum, mutis linguæ vſum, ſurdis auditum, languentibus multis impetrauit à Deo ſanitatem; ſed longè amplius admiramur, & pluris facimus illum in religioſa loca per multa auxiſſe, Chriſtianum cultum confirmaſſe, populos ad amorem, & pacem inflammaſſe à multis vitijs reuocaſſe, ad mundi huius contemptum plurimos nobiles literatos iuuenes prouocaſſe, ac hinc inde innumerabiles perituras animas ſanctis ſuis predicationibus, & integerrimæ ſuæ vitæ teſtimonio Chriſto lucrifeciſſe; quo fit, vt quem Diuina opera plurimum comendant, & nos, & veſtræ ſanctitati diligentia ſumma comendamus. Datum Cracouiæ, &c.

Eiuſdem Regis ad Beatum de quo ſupra.

SPlendorem ſuum Princeps Regum terræ abundè in nos, & nationes Slauorum effudiſſe cognoſcitur, dum

dum pro gentis Bohemicæ reductione, quæ in regionem diſſimilitudinis abiens varia hæreſum dogmata ſectabatur, te virum olim ſibi cognitum, & probatum diuina mente, & ſtupendis operibus inſignem tranſmiſit. Gaudet ob id omnis Aquilonaris plaga, & glorioſo Deo cum Summo Pontifice Vicario ſuo terreſtri gratias habet, & quidem ingentes, quod de ſalute populi ſui ſollicitus prò drachma, & oue centeſima recuperanda ſingulare prouidit remedium. Senſiſti quidem, & expertus ſceleratas Bohemorum mentes, concepto, & hauſto falſarum doctrinarum veneno catholicæ fidei puritatem perſequutas eſſe. Et primum regno ſuo quondam nobili, multiplicibus cladibus obruto, & tandem proſtrato, vicinis regionibus bella intuliſſe, templa ſuccenſa, Virgines ſtupratas, miniſtros, & ſeruos Dei occiſos cognouiſti. Tentarunt plures Principes Orbis, ſectam adeò deteſtatam armis obruere, ſed caſſi fuerunt multorũ conatus, & crebrò ſequebatur occulto Dei iudicio Catholicorum clades, aut fuga. Tibi gentis prædictæ reductio ſeruata eſt. Tibi vni ex alto conceſſum, quod pluribus fuit negatum. Succumbet precibus, & meritis tuis Amalech, & ſuperbiſſimus proſternetur Golias; populus quoque Domini exercituum liberatus ſaluabitur. Tu autem Pater mi, gentis illius reductione quantũ fas erit expedita ingredi, & viſere regnum noſtrum Poloniæ non graueris, ſed per nos rogatus declina paululum, & nos filium tuum deuotum; precor, & per miſericordiam Dei obteſtor nè prætereas. Et paulò infrà.

Hi omnes vno ſpiritu te interpellant, vt non deſpicias viſitare illos, vt aggregari in ſinum vnitatis Eccleſiæ ſanctę Dei per te poſſint. Erant multi, qui ſola fama tui nominis pellecti, renunciare veteri ſectę, & ritui, & ingredi viam, quam monſtraueris, repromittunt, &c. Veniat charitati tuæ in mente Apoſtolorum, quorum veſtigia immitans

tans, exemplum, & forma, quorum nonnulli plures luſtrarunt regiones ſerendo veritatem Euangelij, & doctrinam Chriſti, vt aliquos lucrifacerent. Tu certus quodammodo de præmio laborum tuorum venire pro ſalute multorum populorum, quorum conuerſio ex te pendet, non faſtidias; cogita quantas animas detineri à Sathana permittes, ſi venire diſſeras. Accingere igitur vir optimè ad negotium iſtud, ad quod te vox multarum nationum vocat, ad quod & nos tuam charitatem precibus noſtris inuitamus, &c. Datum &c. in Grodek feria 3. in vigilia Natiuitatis ſanctæ Mariæ, Anno Domini 1451.

Ioanna Secunda Neapolis Regina in literis ad Capiſtranum datis.

NOuiter ad noſtrum peruenit auditum, quod Hæbrei ſeu Iudei Regnicolę, & qui ad regnum confluxerunt perſiſtentes in eorum cordis duritia pertinacia, & prauitate, exercēt vſuras, plurimaque alia eis vetita &c. *& infra*, ſuper quæ volentes ſalubriter prouidere, confiſa de tua deuotione, & charitate, qui ſicut plurium fide dignorum relationibus, & ſcripturis percepimus, ac viſu, & auribus proprijs vidimus, & palpauimus verbo, & opere imitaris veſtigia Ieſu Chriſti, & cuiuſuis ore bonum ſementem ſeri, & meliorem fructum colligi ſperamus in Domino, ipſe tuæ deuotioni tenore præſentium de certa ſcientia, liberam, omnimodam, & plenariam licentiam & poteſtatem concedimus, &c.

Ioannis Hunyadis ad Capiſtranum.

LIcet V. P. votiuè ſpoponderit, quod apud nos in loco hoc feria quarta proximè ventura conſtitui vellet;

Digitized by Google

let; tamen ex literis Reuerēdiſſimi in Chriſto Patris Domini Dionyſij Cardinalis Archiepiſcopi Strigoniēſis vidimus, quod multitudo populi de diuerſis partibus, & ſignanter de terra Matthiæ, & de partibus Trempiricien. vbi quodammodo hæretica prauitas eorum ſe erigere aſſeritur, ad audiendum verbum Dei illuc cōfluxiſſet, & adhuc veſter aduētus ad diem prænominatum propter rem prægeſtam eſſet impeditus, petitque idem Archiepiſcopus, vt aduentus veſter ad hunc locum faciēdum ad diem Dominicum proximè nunc venturum per nos indulgeretur: nos igitur petitioni ipſius Domini Archiepiſcopi obtemperantes, ſignanter tamen prò eo, vt populus in Dei nomine illuc congregatus ſeminatur verbum Dei metere, & colligere valeat, præſcriptum aduentum veſtrum ad Sabbathum nunc proximè futurum diſtulimus; & ipſo die Sabbathi completa prædicatione iter veſtrum verſus hanc ciuitatem arripere petimus, nec comparitioni veſtræ noſtra indulgentia, & conceſſio plures dies parere, & aſſignare poteſt. Datum Budæ, &c.

Oratorum pariter Regis Hungariæ.

VEnerabilis, & religioſe Pater. Neceſſitates Regni Hungariȩ, quæ celerem præſentiam veſtram requirunt narrauimus Paternitati veſtræ. Supplicamus ergò, & in perſona Domini noſtri Regis præſentamur Paternitati veſtræ, quatenus, ſi velit bonum exitum negotij fidei, in nullas diuertat partes, ſed recto, & cōtinuo itinere Budam veniat, quia nullibi plus proficere poteſt ad honorem Dei, & Reipublicæ Chriſtianæ. Datum Milthemburg. &c.

Iudi-

Iudicis, ciuiumque Lippæ ad Capiſtranum.

QVia his diebus certiſſimè audiuimus, vt venerabilis veſtra Paternitas ad oppidum Themeſnar pergere, & nos quaſi exules à prædicatione ipſius veſtræ Paternitatis relinquere prætendat, tamen nos aduentum V. P. lætanter animo exultanti expectauimus tanquam Patris noſtri honorandiſſimi; poſſumuſque notificare eidem V.P. quomodo in medio noſtri, multi Pagani, Schiſmatici, & increduli exiſtunt, quos ipſa V. P. poteſt ad fidem conuertere, licet nos vniuerſaliter perſonali præſentia ad V. P. ire non poſtpendimus, & ire non omittimus, ſed tamen ipſos incredulos nobiſcum ducere non poſſumus; quos nos ad fidem Chriſtianitatis conuerti optaremus, & ſermonem eiuſdem V. P. audire deſideraremus. Ideò precamur pro Deo ipſam V. P. quatenus dignetur in medium noſtri venire, quoniam V. P. poterit nobis præbere auxilium ſalutiferum, &c. ſcripta Lippæ, &c.

Iudex, & duodecim iurati, cæterique ciues, & vniuerſi hoſpites de Lippa, &c.

Epiſtola B. Iacobi de Marchia ad B. Ioannem.

FRuctuoſus labor, quem continuè ſuffert Paternitas veſtra charitate plurima feruens, ſollicitudo, nec non celeberrima ſanctitatis fama, multiplexque prerogatiua virtutum, quibus Paternitatem veſtram dotauit altiſſimus, quarum exercitatio vt nemini iam Chriſtiano ignoratum eſt, maximam noſtræ Religioni coronam affert, cæteraque mirabilia veſtra dona exigunt à me, vt me ipſum totũ eidem R.P. deuoueam, ſuiſq; conſilijs prudentiſſimis, & diuiniſſimis præconijs omnia peragenda committam, &c.

Eiuſdem B. Piceni ad Capiſtranum.

MArtyr ante tempus; gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & pax in te multiplicetur: te benè eſſe, meum eſt, labores multos & anguſtias plurimas te ferre non dubito, compatior equidem ſenectuti tuæ annis multis ſub multorum laborum iugo ſuppoſitæ, &c.

Nicolaus de Fara in deſcriptione Capiſtrani virtutum, & miraculorum.

FVit enim hic Ioãnes natura, virtute, doctrina, & ſanctimonia tam excellens, tamque præclarus, vt ſe ampliſſimum munus adeptum extimare poſſit, qui ſuis oculis talem, ac tantum virum potuerit intueri, in quo priſca illa illorum noſtrorum maiorum ſi qui iurè Beati appellati ſunt, recta, ſanctaque benè, beatèque viuendi ratio eluxit. Hic ſanè eſt qui in diuinis, humaniſque educatus ſtudijs, non ſermone modo, verum etiam vita ſubiectos inſtituit, atque concinnauit, qui sè omnibus omnis virtutis exemplar, formulamque propoſuit ex viuendi norma, doctrinæ teſtimonium habens, quique veluti ſtella matutina in medio nebule, primùm Italis illuxit, demum Germanis, Bohemis, Polonis, & Hungharis ſicut ſol reſplenduit, inſtruens Chriſtianos populos ad regna Dei ſermone aſſiduo, inuictoque labore, languores ſanans, pellenſque demonia, virtute magna indutus ex alto; inclita, nempè Cæli proles, immenſum Italiæ decus clariſſimum noſtri ſeculi ſydus, Hungarorum fœlix robur, & gaudium, Gloria quidem magna minorum, Turcarum terror, inuictus pugil, & Murus Chriſtianorũ, Aprutinę ſanè Telluris alumnus in oppido Capiſtrani claris parentibus natus.

Idem

Idem ad ſuos conſodales exſcribens.

MAgnificauit enim illũ Dominus Deus noſter apud Alemannos, Moldauos, Bohemos, & Hungaros multis miraculis, ſignis, & prodigijs; & ità magnificauit, vt iam non homo mortalis, ſed tanquam cæleſtis Angelus à cunctis ſumma cum veneratione habeatur, extollatur. Currunt equidem omnes ferè populi Alemannorum, Bohemorum, Moldauorum, Hungarorum poſt eum, & tamquam amentes præ nimia deuotione affecti, non modo ducentis, & trecentis milliaribus remoti, ſed etiam quadringentis, & quingentis proficiſcuntur. Occurrunt illi ornatiſſimæ proceſſiones cum Crucibus, Reliquijs, vexillis, luminaribus, ſuauiſſimiſque hymnis, & canticis, pulſantur campanæ, & organa, ornantur viæ herbis, & ſuauiſſimus floribus, & beatum sè quiſque putat, qui illius veſtimenti fimbriam tangere, & oſculari poteſt. Quid dicam de confluentibus vndique populis ad contemplandum ipſum communem Patrem tanquam cæleſte oraculum? Cum etiam nonnunquam centum millia hominum conſpiciamus, vt taceam Sacratiſſimam illam diem Corporis Chriſti, qua creditur proculdubio hac inclyta vrbe Viennenſi trecēta millia hominum fuiſſe. Interſunt etiam prædicationi nonnunquam ſexaginta millia, nonnunquam octuaginta millia, nonnunquam centum millia, quanquam ſi omnes intelligere, & audire poſſent, nullus inueniretur campus, qui illo capere poſſet præ hominum nimia frequentia, & magnitudine. Quid de infirmorum multitudine dicam? cum aliquando tria millia aliquando quatuor millia, & quinque millia ſint pariter expectantes ab ipſo Patre benedici, ac illius meritis, & interceſſione optimam valetudinem adipiſci? & paulò infra.

Quotidie noua miracula videmus, iam vnum libellum con-

confeci ex miraculis geſtis. Tota Hungaria vſque ad fines Turcarum comota eſt, vt taceam omnem Alemanniam, Bohemiam, & Moldauiam; eſt enim huiuſcemodi comotio res inaudita, tantus eſt fetor, vt niſi à vento opprimeretur, qui continuè hac in vrbe regnat, vt facile mihi perſuadeam, hanc inclytam vrbem non potuiſſe Epidimiam euadere, ſed à continuo vento omnis fætor expellitur. Numerus infirmorum eſt iam inenarrabilis, qui ità vndique confluũt, ac ſi ad Iubileum proficiſcerẽtur. Ducenta enim miracula facta eſſe, non parum eſt in viginti octo dierum ſpatio hic Viennæ, & iam ſunt trecenta viginti miracula, quæ in Alemannia noſtris manibus annotauimus, vt taceam multa, quæ ſcribere nequiuimus. Et infrà.

Conſtruuntur inſuper multæ Eccleſiæ, & Cappellæ in honorem Sancti Patris Noſtri Bernardini, quem quidem Sanctus Senior ita magnificauit, & magnificat, vt mirabile dictu ſit: omnem miraculorum ſuorum gloriam Sancto Bernardino attribuit, vult enim, vt omnia ſubſtentacula dimiſſa ab infirmis ſanatis ponantur, & appendantur in circuitu Cappellæ Sancti Bernardini, &c.

Flauius Blondus regione illuſtratę Italiæ Aprutio.

CApiſtranum oppidum Aprutij viro nunc ornatur celeberrimo Ioanne Capiſtraneo Seraphici Franciſci Ordinis, quem decorat Alumno miraculis, & quidem frequentibus, quod poſt Apoſtolorum tempora rarum, ac propè inauditum fuit, in vita coruſcante.

Idem de Roma triumphante lib. 2.

SEd lætius erat videre alia in perſona Ioannem Capiſtraneum Ordinis Sancti Franciſci Fratrem, qui multis

tis continuata annis opinione ſanctitatis, tanto impleta miraculo, milites adduxerit Ieſu Chriſti vexilla ſequutos, qui celeberrimo Ioanne Hunyad Vayuoda Tranſyluano duce, pauca hominum millia ſupradictam in Barbaris cædem edidere.

Iac. Philippus Bergomenſis Ord. Erem. S. Auguſt. in cronicis ſub anno 1454.

IOannem de Capiſtrano Aprutij oppido non longè ab Aquila conſtituto Ordinis Beati Franciſci, Chriſtianæ religionis acerrimũ, & egregium prędicatorem hac tempeſtate mè vidiſſe confiteor, virum certè religioſiſſimum, quemque Blondus Forliuienſis notiſſimum, amiciſſimumque ſibi, magnis affert laudibus, eo quod vniuerſam fermè Italiam prędicando, monendo, & caſtigando, ad benè, beatèque viuendum reduxiſſet, & Chriſti vitam omnibus verbo, & exemplo immitandam ardenti deſiderio propoſuiſſet. Ipſe deinde vir ſanctus ad augmentum ſui meriti id facinoris adiecit, quod cum in Panonia audiſſet, innumerabiles Chriſti fideles à Turcis capi, & venundari, quo fiebat, vt pueri omnes à fide Chriſti deficerent, vita, & moribus Turcarum aſſueti animarum fidelium periculo motus, eò acceſſit, & ſuis exhortationibus, grandi exercitu ibidem congregato, contra hoſtes Turcas impetum fecit, & in feſto Sancti Chriſti anno 1456. Ipſo in Acie exiſtente, & populum exhortante apud Belgradum trans Danubij oppidum tanto cum ardore chriſticolæ pugnarunt, vt magnum de inimicis reportarent triumphum, &c. Qui mortuus magnis coruſcauit miraculis.

Ioannes Regularis in cronicis Belgicis ſub anno 1452.

ANno 1452. Frater Ordinis Minorum Ioannes de Capiſtrano Doctor decretorum, diſcipulus Sancti Bernardini, à Domino Apoſtolico Miſſus ad prædicandum, & conuertendum Bohemos, deſcendens per Turingiam, Saxoniam, Miſniam, & Morauiam cum gloria ſimili à terræ principibus, ab omni clero, & populo cum Crucibus, & vexillis proceſſionaliter ei obuiantibus, & *Iuſtum deduxit Dominus*, concinentibus deuotè ſuſceptus, & in Eccleſiam ſibi competentem fuit introductus. Iſte communiter ante prandiũ in foro facta domuncula in altum eleuata primo celebrauit, deinde duabus, aut tribus horis ibidem latinè omni populo prędicauit, manibuſque & pedibus more Italico prędicata demonſtrauit. Aiunt Erfordię ſexaginta millia populi iuxtà eius æſtimationem in ſermone eius tunc fuiſſe, vbi omnes viri in vno latere, & mulieres in altero latere diuiſim ſubſtiterũt. Quem alius eiuſdem ordinis Doctor continuo ſubſecutus Theutonicè de verbo ad verbum expreſſit, quod ipſe prius in latino prædicauit: quod inde potuit, quia in membrana ſeriem ſermonis audiendo conſcripſit. Prandio autẽ facto omnes ciuitatis, & patriæ illius infirmi in forum conuenientes in circulum conſederunt, & ille ſuperueniens cum fratribus ſuis ordinis benè reformatis, Reliquijs, quas ſecũ detulit, ſingulorum capita tangens, plurimos infirmorum ſanauit, quacunque infirmitate quiſq; detineretur, modò bonam fidem recipiendæ ſanitatis haberet, quæ omnia Erfordiæ Vuymarie in Nuenborc, & Hallipſum proſecuti fieri conſpeximus, & mirati ſumus, quia nuſquam talia in libris ſanctis legimus. Lipſiæ ſexaginta ſuppoſita vniuerſitatis illius per caput mortui in ambone fori populo demon-

ſtratum,

Digitized by Google

ſtratum, dicitur conuertiſſe, & eos ordinis ſui habitum ibidem in foro induiſſe.

In Cronicis Saxonię ſub anno quo ſupra.

IOannes Capiſtranus Euangelizando Ratiſponam Bauariæ, tandem Norinbergam Germaniæ venit, ibique ab omni Clero, & populo ſollemniter ſuſceptus, ad ordinis ſui conuentum, iam quinquẽnium antè reformatum, diuertit. Et in vigilia Sancti Iacobi aliquot ſorores Sanctæ Claræ, impoſitis Sancti Bernardini Reliquijs, ſanitati reddidit. Dici non poteſt, quàm huius viri ſanctitate, & prędicatione Ordo Minorum per Germaniam accreuèrit. Lypſiæ, quod Miſniæ oppidũ eſt, e accademia inſigni 60. pręclaros, & doctos homines ſuo habitu veſtiuit.

Paulus Lancius in cronico Citizenſi ad annum 1454.

ANno Domini 1454. Ioannes Capiſtranus vir ſanctæ vitæ, & magnæ doctrinæ prædicauit feruentiſſimè per Germaniam, & Lipz prædicando Aleas omnes poſt quendam ſermonem comburi fecit.

Vuernerus Relouuinch Ord. Carthuſien. temporum faſciculo ad annum 1454.

IOannes de Capiſtrano Frater Minor, diſcipulus Sancti Bernardini, ſtatim poſt obitum eius præfuit Reformationi nouæ. Claret miraculis.

Digitized by Google

Albertus Kranzius libro 11. Metrop. cap. 51.

HIc homo in terris cæleſtem, ſed occupatiſſimam, & laborioſiſſimam vitam peregit.

Idem lib. 11. Saxon cap. 35.

HOc conſtat, virum fuiſſe incredibilis, in vita, & moribus, auſteritatis, & ſanctitatis.

Laonicus Calcacondilas lib. 8. de rebus turcicis.

CApiſtranus Nazareus, ſiue Monacus, Bernardini fuit ſectator, cuius auctoritas in religionis negotio maxima habetur apud Occidentales; cum autem ſapientia, & intellectu plurimum valeret, Regi Pannonum familiariter iunctus eſt; familiaritate iſta permotus, Regem in Turcica expeditione enixè iuuit.

Martinus Cromerus lib. 22. de rebus Polon.

ERat Ioannes Capiſtranus Italus, non ignobilis, de ſodalitio Franciſcanorum, qui ſe obſeruantes, & Bernardinianos appellant, doctrina, facundia, & ſanctimonia vitæ pollens vſque adeò, vt multis miraculis eam comprobaret.

Antonius Bonfinius lib. 8. decad. de rebus Hungar.

NIcolaus Pontifex maximus, &c. Sacroſanctæ militiæ ſaluberrimum promulgauit edictum: quia & Ioannem Capiſtraneũ è ſamnitibus editum, ac Diui Franciſci Sacris initiatum, præterea virum Sanctiſſimum, &

ad

ad excitandos ad id populos dicendi copia, & vitæ probitate nimis idoneum, in Alemannos, Hungaros, Polonoſque miſerat, qui ad ſalutarem expeditionem ſacris declamationibus homines hortaretur.

Thomas Boſius lib. 7. de ſignis Eccleſiaſticis cap. 1.

ANno 1456. obijt Ioannes à Capiſtrano, qui mortuos octo excitauit ad vitam. Plurimis cęcis, mutis, ſurdis, egrotiſque rectum membrorum vſum reſtituit. Concionatus eſt publicè innumeris hominibus in Italia, Gallia, Germania, Hungaria, Bohemia, Polonia; multas illi laudes datas à ſummis totius Europæ Principibus, refert Ioannes Chocleus.

Abbas Tritemius in cronico Szanheimenſi ſub anno 1461.

IOannes de Capiſtrano, Aprutij oppido, non longè ab Aquila Vrbe, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Bernardini Senenſis olim diſcipulus, vir in diuinis ſcripturis eruditus, & in iure canonico egregiè doctus, ingenio excellens, & clarus eloquio, vita quoque, & religioſa conuerſatione deuotus, Diuini Verbi prædicator celeberrimus, qui multos verbo, & exemplo ab iniquitate conuertit. Scripſit quædam non paruæ vtilitatis opuſcula, de quibus ad me pauca peruenerunt, nimirum: de cupiditate libri tres: incipit: nolite vobis theſaurizare. Contra Huſſitas librum vnum; ſermones varios librum vnum; epiſtolas nonnullas, & quædam alia. Claruit ſub Friderico Imperatore iij. anno Domini 1450. & non ſine opinione ſanctitatis.

Nauclerius in cronico generatione 49

IOannes Capiſtranus Ordinis Minorum profeſſor, vitę ſanctimonia clarus ea tempeſtate, diſcurſis iam pridem finibus quibuſdam, Germanię Hungaros in arma publicis ſermonibus excitauit, qui vt appropinquare Turcos accepit, nil moratus, in Albam Regiam ſe contulit, haud paruam Cruce ſignatorum manum adducens, auctoritate fretus Calixti Pontificis, & pauló infra.

Poſt hanc felicem victoriam, paucis tranſactis diebus Ióannes Hunniades infirmari cæpit, tandem in oppidum zem plen delatus in recomendatione pręfati Fratris Ioannis de Capiſtrano viri Dei, Saluatori ſuum reſtituit ſpiritum anno 1496.

Sed & non multò poſt Venerabilis vir Frater Ioannes de Capiſtrano ſimiliter obijt; cadauerque eius in clauſtro Minorum Fratrum de Obſeruantia, quorum ſub habitu, & ipſe vitam Sancti Franciſci imitatus eſt, in oppido Villach eſt honorificè ſepultum; claretque miraculis.

Ioannes Rioche in temporum compendio tit Sacri Doctores cap. 82.

IOannes de Capiſtrano Ordinis Minorum Reformator, & obſeruator, diſcipulus Beati Bernardini, vir fuit doctrina, eloquio, & Sanctitate clarus Miraculis fulgens, ſignanter aduerſus infideles, vt in victoria contra eoſdem apud Belgradum die Beatæ Mariæ Magdalenæ 1450. vnde fuit inſtitutum feſtum Transfigurationis.

Nico-

Digitized by Google

Nicolaus Carmelita diſcalceatus Polonus in Apologia perfectionis vitæ ſpiritualis propoſitione 59.

NEc tacendus Ioannes Capiſtranus, qui annum circiter 1460. vna excurſione duodecim millia infidelium, & multos præterea ſciſmaticos Eccleſiæ aggregauit.

Io. Dubrauius Epiſcopus Olomuzenſis lib. 29. hiſt. Bohem. fol. 237. nu. 10.

OPtimam ea tempeſtate famam in concionibus ad populum faciendis Ioannes Capiſtranus, natione Italus, profeſſione Franciſcanus Minorum Ordinis obtinuit, ſumma homini dicendi facultas, incredibilis memoria, vitæ ſanctitas rara, mirumque ſtudium in vitijs inſectandis, & corrigendis erroribus. Hunc allegare Bohemis, qui cuncta apud illos exploraret, quique concionibus ſuis deuios in viam reduceret, Pontifici Romano ſummè placuit.

Io. Cochleus de rebus Huſſit. lib. 10.

FVit Ioannes natione Italus, patria Aprutinus non longe ab Aquila vrbe oriūdus, Magiſter in Theologia, & Iuris vtriuſque Doctor, qui ad prædicandum verbum Dei ſingulari gratia præditus, magno cum fructu in plurimis Regnis, & Prouincijs populo verba ſalutis annunciauit, & paulò infrà.

Ingens profectò, & per diuinam gratiam infaticabilis in modico illo corpore virtus regnabat, quam nec labor, nec ætas frangere potuit. Et talis erat eius pronunciatio,

ciatio, vt etiam non intelligentes ad lacrimas, & vitæ emendationem prouocaret. Miſſus à Pontifice in Germaniam, vt Nuncius, & Commiſſarius Apoſtolicus, atque vt Generalis Hæreticorum Inquiſitor per Carinthiam, & Stiriam venit in Auſtriam, tanta cum populi reuerentia, ac veneratione vt Sacerdotes cum plebe eum veluti Legatum Sedis Apoſtolicę cum Sanctorum Reliquijs obuiam procedentes ſuſceperint; & planè illud complerent in eo, quod Paulus ad Galatas cap. 4. ſcribit, dicens: *Sicut Angelum Dei excepiſtis me.*

Io. Nicolaus Doglionus tom. 2. par. 7. Theatri Vniuerſalis ad annum 1445.

CVm ad deuaſtãdam Hungariam Turcarum Rex magno ingrederetur cum impetu, timore perterritus Ladislaus Viennam aufugit, vt in ſicuro. Huniades autem nolens illud relinquere regnum, adiutorio prędicationis Ioannis de Capiſtrano Fratris Ordinis Minorum, viri vtique Sanctitate admirandus, in albam gręcam cum optima gente ſe contulit.

Laurentius Beijerlinck Archipræsbiter Antuerpien tom. 6. pag. 154. Theatri vitæ humanæ.

IOannes Capiſtranus Ordinis Minorum in Germania prędicans miraculis coruſcans, non niſi veſtitus de more dormiebat, ante lucem ſurgebat, penſum diurnæ ſeruitutis ſacrificium labiorum deuotiſſimè perſoluebat, diuinum Altaris ſacrificium peragebat, tum ſermonem ad populum latinè habebat. Et paulò infrà.

Ergò cæleſtem in terris, ſed occupatiſſimam, & labo-

rio-

rioſiſſimam vitam dux t; Arido, & exili erat corpore, annos natus ſupra 60. quum inter Germanos ageret, ſola cute & neruis oſſa herebant, ſpiritu vegeto Kranzius lib. 11. Metrop.

Antonius Poſſeuinus in apparatu ſacro tom. 2.

IOannes Capiſtranus, ſiuè à Capiſtrano, quod eſt oppidum in Brut jſ haud procul ab vrbe Aquila Marſorum; diſcipulus, & ſocius D. Bernardini Senenſis Ordinis Minorum, nobili genere natus anno 1385. Familiæ ſuę ciſmontanæ Vicarius Generalis renunciatus. A ſummis autem Pontificibus, potiſſimum à Nicolao V. ad varias functiones pro Sãcta Eccleſia Cattholica adhibitus eſt. Huic ante annos centũ Kranzius teſtimonium tulit his verbis. Ioannes in Germaniam deſcendit, prędicans magno zelo verbum Dei in Auſtria, Bauaria, Suecia, Turingia, & Saxonia. Nam in ciuitate Magdeburgenſi in nouo foro, maxima ad illum confluente multitudine, cum eſſet Germanicæ linguæ non ignarus, latinè prædicabat latinis in tertiam horam, populo ſolis geſtibus eius, quos ante non viderat, ſatis vehementer permoto, moti ſunt omnes; & vſque adeò permoti, vt fęminæ abuſum in ornatu, viri ludos, quibus tempora perdunt, ſcaccorum, alearumque in vnum contulerint, & eodem loco igne ſubdio concremarint; quin & noſter.

Hieronymus Platus lib. 2. de bono ſtatu Religioſi cap. 30.

SCripſit autem Capiſtranus contrà Philippum Berbegallum diplomati Pontificis maximi aduerſantem: ſex autem & octoginta Fraticellorum hæreticorum loca, vbi

vbi conueniebant, in Piceno, atque Campania combuſſit. Exortamque Eugenio quarto ſummo Pontifici hæreſim iſtam profligauit. In Morauia errores Huſſitarũ refutauit.

Iacobus Gualterius in tabula Cronologica de ſcriptoribus Sacris pag. 716.

BEatus Ioannes de Capiſtrano Ordinis Minorum Sanctitate, & Doctrina celebratiſſimus.

Hartmannus Scheidelius lib. cronico 6. mundi etate.

IOannes Capiſtranus Noribergam venit, vbi vndique populi motus fuit; viri, & mulieres impetum fecerunt intueri virum, lacrymas letitiæ, deuotioniſque mittere, leuare in cælum manus, benedicere venienti, laudare mittentem, tangere, oſculari qui propè erant, veſtimenta, veluti è cælo miſſum, & Angelum Dei reſpicere; apud minores deinde ſui Ordinis Fratres exceptus eſt. Beatum virum puſillo corpore Noribergę vidi, ætate ſenecta, annos quinqae & ſexaginta natum, ſiccum, aridum, exhauſtum, ſola cute, neruiſque, & oſſibus compactum, lætum tamen, & in labore fortem, ſine intermiſſione ſingulis diebus prędicantem, altas, ac profundas materias abſoluentem; ferunt, & hunc Cæſarem Fridericum cupide audiuiſſe, multiſque ſermonibus eius interfuiſſe, ac veſtimentis eum ſacerdotalibus donatum, dum apud Viennam, & Auſtriam auaritiam calcauit, libidinem ſubegit, & honores ſæculi fugit, tandem eum cum honore dimiſiſſe, &c.

Petrus

Digitized by Google

Petrus Mattheus in ſumma conſtitutionum conſtit unica Calixti.

NEc eſt ſilentio prætereunda Ioannis Capiſtrani Franciſcani Monachi inſignis gloria, qua profectò Coronam obſidionalem iure conſequutus eſt. Is cum videret hoſtis impetum omnium terrere animos, & belli fulmina in vrbem emittere tanta vi, & pertinacia, vt turribus deiectis, menia ruinoſa, nuda, ac concuſſa relinquerentur, conſcendit ſummum turris cacumen, nec dehortari, exclamare, ac obteſtare deſinit, quouſque ſucçenſos, & alacres videret Chriſtianos ad pugnam,

Albertus Mireus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis.

IOannes Capiſtranus ex Sancti Franciſci Ordine cognomen tulit à patrio ſolo Capiſtrano, Aprutij oppido; duabus maximè rebus æuo ſuo præſtabat; excellenti doctrina (fuit enim omnes Iuris Diuini, atque humani conſultiſſimus) & vitæ, morumque innocentia; Magiſtro vitæ, ac diſciplinæ vſus fuit Sancto Bernardino Senenſi, à quo cæleſtes ſapientiæ fontes hauſit. In Florentinorum Patrum conſeſſu, velut Sol quidam effulſit. Quatuor Pontificibus ſummis Martino V. Eugenio IV. Nicolao V. & Caliſto III. gratiſſimus. Demum in Hungariam miſſus ad Taurinum, ſeù Belgradum, qua Deum rogando, qua milites adhortando, noſtris inſignem de Turcis victoriam procurauit. Viennenſis populi mores correxit: apud Morauos, Bohemoſque Huſſitarum hæreſim coercuit, magnumque eorum ad Romani Pontificis auctoritatem traduxit. Obijt Vuilak anno 1456. colitur Beatus Capiſtrani ex decreto Leonis X. Papæ.

Digitized by Google

Mattheus Palmerius in ſuo Cronico.

CRiſtianos magnam ſtragem infinito hoſtium numero parua manu dediſſe, adeò, vt creditum ſit, præcibus, & votis Beati Capiſtrani, Miniſtros Dei prò Chriſtianis pugnaſſe.

Andreas Victorellus in addit. ad Ciacconum in Caliſto III.

NIcolaus V. Ioannem Capiſtranum cum duodecim comitibus in Alemanniam miſit. Quid vir ſanctus præſtiterit, non eſt huius loci explicare. Celebratur à multis Beati titulo in militanti æternę gloriæ luce in triumphante Eccleſia fulget, nonnulla Matthęus Raderus in Bauaria Sancta, in qua triginta, & eo amplius, defunctos eius pręcibus, vitæ redditos, narrat. Septuaginta natus annos, poſt innumeros, eoſque graues labores prò ſanctę fidei, & religionis propagatione toleratos, demigrauit ad palmam.

Mattheus Raderus tom. 6. pag. 181.

ILlud addam; expreſſum legi numerum de curatis, partim mortuis, partim morituris: ex illis ad officia vitæ reuocatos ſuprà triginta; ex his, aures apertas ſurdis trecentum ſeptuaginta, ora mutis triginta ſex, oculos centum viginti tribus, vitia pedum, vel articulorum correcta, ſeù triſti podagra, ſeù cruciabili chyragra, ſeu turpi claudicatione laborarent, noningentis viginti.

Aliorum morborum nullum numerum iniri potuiſſe.

Vna-

Digitized by Google

Vuadingus de ſcriptoribus Ord. Minorum pag. 196.

IOannes Capiſtranus, ſiuè à Capiſtrano brutiorum oppido, haud longè ab Aquila Marſorum Vrbe, nobili genere natus Anno 1385. Sancti Bernardini Senenſis diſcipulus, Socius, & in regimine exorientis Regularis Obſeruantiæ ſucceſſor; bis generalis Vicarius; Magiſtrum intrepidè, & viriliter defendit, adiuuitque in promouendolatrię cultu nominis Ieſu. Deinde vt ſexto poſt mortem anno in ſanctorum numerum referretur, obtinuit. Puſillã & humilem paruis, & deſpicabilibus initijs ſuccreſcentem obſeruantum Familiam, multis impetitam aduerſariorum telis, verbo, & opere potenter defendit, in multaſque prouincias longè, lateque propagauit, data potiſſimum norma regiminis, & doctrinę. Eugenio Quarto Nicolao V. & Calixto Tertio, magno fuit adiutorio in reformandis hominum moribus, & fugandis è multis prouincijs hęreticis, commiſſa ſibi generalis Inquiſitoris fidei poteſtate. Octoginta ſex loca fraticcllorum in Italię perniciem incredibili numero coaleſcentium in Piceno, & campania combuſſit. In Elorentinorum Patrum conſeſſu, velut Sol quidam effulſit. Fridericus Tertius Imperator, miſſo Aenea Syluio, obtinuit à Nicolao V. vt in Germaniam mitteretur populos docturus, & Principes ad vnionem, & bellum contra Turcas excitaturus. Ex omnibus ciuitatibus, & oppidis Clerus, & Magiſtratus, ſed & ipſi Reges, & aulici obuiam procedebant cum Reliquijs, & Crucis vexillo, tanquam Angelum reuerenter excepturi, cantantes, & paſſim petentes: Benedictus, qui venit in nomine Domini. In Bohemia Morauia, Sileſia huſſitas, illorum fauorem, & anteſignanum Ioannem Rochezanam Pſeudo Archiepiſcopum Pragenſem repreſſit. Adamitas turpiſſimum, obſceniſſimumque hęreticorum genus in

inſulis laſciuientium penitus extinxit. In Hungaria, Polonia, Bohemia, Germania, Auſtria præſertim, varias hęreticorum ſectas calamo, verbo, Inquiſitoris auctoritate, qua fungebatur perpetuo inſectatus, plurimos ad Chriſti fidem conuertit. Iudeos nullos loco conſiſtere paſſus, eorum coercuit vſuras, pluſquam quadraginta millia infidelium, & Schiſmaticorum Eccleſiæ Catholicæ aggregauit. Turcarum Imperatorem magna claſſe, & ducentorum fermè millium exercitu, Europæ imperium ſibi promittentem, fortiſſimamque albæ regalis in Hungaria arcem, munitiſſimum Chriſtianorum propugnaculum, obſidentem, collecta cruce ſignatorum, & ruſticorum copia, captis tormentis bellicis, & impedimentis turpi fuga profligauit; in cuius rei memoriã Calixtus Tertius octauo idus Auguſti, quo tantæ victoriæ nuncium accepit, celebrari iuſſit feſtum Transfigurationis. Sexaginta quinque annorum prouectus ætate, quotidie, ac ferè ſine intermiſsione prædicabat, concurrentibus vndique ad audiendum centenis hominum millibus. Atque vſque adeò omnes mouebantur, vt fœminæ abuſum in ornatu, viri ludorum inſtrumenta per omnes fermè ciuitates in vnum contulerint, conſtructaque ingenti pyra ſubdio concremarint.

Tanta fuit hominis fama, & ſanctitudo, vt omnes illius temporis ſcriptores eum maximis celebrent Encomijs, Aeneas Syluius, Flauius Blõdus, Cardinalis Cuſanus, Hermãnus Scheydelius, Abbas Trithemius; & Gregorius XV. miraculis, & meritis ergà Sedem Apoſtolicam celeberrimum, beatorum adſcripſerit catalogo. Factis præclaris, vitæque ſanctimoniæ, doctrinæ etiam acceſſit eminentia, Theologiæ, & iuris vtriuſque peritus, multa ſcripſit, in quibus prudentia in rebus decernendis, & ſapientia in elucidandis vtrinque elucent. Hæc Vuaddingus, &c.

Artu-

Digitized by Google

Arturus in annotatione martirologij Franciſcani die 23. Octobris pag. 119. §. 11.

IOannes Capiſtranus ob ſingularem in rebus gerendis ſagacitatem, à multis Summis Pōtificibus Martino V. Eugenio IV. Nicolao V. & Calixto III. ad diuerſa munia pro Eccleſia Romana obeunda adhibitus eſt. Inquiſitor enim generalis concionator, Commiſſarius, Nuncius, & Legatus Apoſtolicus ſæpè creatus eſt: Sede Apoſtolica: itemque Epiſcopus Aquilæ, & Theatis electus, eam dignitatem conſtanti animo recuſauit, vt facilius poſſet per vniuerſum orbem Chriſtum annunciare. Miro etenim cum fructu animarum, & ſalute plurimorum, ſuis feruentiſſimis concionibus Italiam, Germaniam, Poloniam, Hungariam, Ruſſiam, Valachiam, Auſtriam, Sueciam, Bauariam, Thuringiam, Saxoniam, Bohemiam, Morauiam, Galliam, &c. peragrauit. Mirabile dictu, quot Regna, prouincias, nationes ſuo lumine irradiauerit? Quot millia infidelium, Iudæorum, Hæreticorum, Schiſmaticorum, & peccatorum conuerterit? Quot diſputationibus, ſcriptis, & libris, aberrantes à veritate profligarit? Nam Huſſitarum, Fraticellorum, & aliorum hæreticorum acerrimus impugnator fuit. At deſine mirari mi lector, ſi tantillum ſpectes; quæ omnipotens per ſeruum ſuum operari dignabatur: quia in ipſo gloriari ſibi complacebat. Taceo admirandas eius virtutes; veniam ad viſiones, & dona ſuperfluentia Dei. Spiritu enim prophetico abundantiſſimè cumulatus erat: dono orationis, & intelligentiæ pollebat: gratia miraculorum inſuper admirabilis erat; nam tot, ac tāta edidit miracula, ſiuè mortuus, ſiuè viuus, quod, vt verum fatear, numerum eorum præ ingenti multitudine, haud potuerim inueſtigare. Hinc Principes, Duces,

Digitized by Google

Duces, Reges, ac Cæſares; Epiſcopi, Archiepiſcopi, Cardinales, & Summi Pontifices illum maximo in honore habebant: apud quos vir Dei, non ſolum res Eccleſiaſticas admodum promouit, ſed & quæ erant ſui ordinis valdè propagauit; *& infra.*

Qui tandem pretioſa morte obdormiuit in Domino anno 1456. in Vacorio ciuitate vulgò VuilaK Diœceſis Quinqueccienſis in Hungaria: tumulatuſque eſt in clauſtro Beatæ Virginis apud minores anno ætatis ſuę 71.

Ioannes Gobellin, in comment. Pij 2. lib. 12. pag. 326. & 327.

ERat in Hungaria Ioannes Capiſtranus ordinis minorum profeſſor, natione Italus, verbo Dei acceptiſſimus in populis Prædicator, quippe qui literarum eruditionem cum vitæ ſanctitatæ iunxiſſet, exemploque Domini Saluatoris pietatis opera faceret, & doceret, &c. *& infra.* Capiſtrani cadauer tanquam viri Deo accepti ſepeliri Hungari non permiſerunt.

Hippolytus Maraccius Bibliotec. Marianæ pag. 13.

IOannes Capiſtranus Ordinis Minorum natione Italus ex nobili familia natus, vir eruditione, & ſanctitate clariſſimus, innumerorum Gentilium, Iudeorum, Hæreticorum, & Schiſmaticorum reductor.

Onufrius Pcnuinus in faſtis ad ann. 1441.

IOannes Capiſtranus Minorita vir ſanctitate inſignis agnoſcitur.

Cita-

Digitized by Google

Citarellus in vitis Pontif.

CVm Mahumethes Albam græcam obſediſſet &c. ibi tunc erat Ioannes Capiſtranus Ordin. Minorum Predicator inſignis, qui cum militibus Chriſtianis fortiter reſiſtebat Turcis.

Fortalitium fidei lib. 4. conſiderat. 9. 157. bello.

CEnteſimum quinquageſimum ſeptimum bellum inter Saracenos, & Chriſtianos accidit anno Domini &c. infra. Præſente pariter Patre Ioanne de Capiſtrano Ordin. fratrum Minorum profeſſore, viro quidem optimo, & meritorum apud Deum, & homines eximio.

Poireus tract. 3. tripl. Coron. Virg. cap. 7. §. 6. nu. 12. & tract. 4. cap. 9. §. 6. nu. 1.

BEatus Ioannes Capiſtranus Religioſus de Obſeruantia Sancti Franciſci, qui in Hungaria mortuus in maxima opinione ſanctitatis, anno Domini 1456. à Deipara Virgine electus fuit, ad deuotionem circa recitationem Coronæ eiuſdem Beatæ Virginis publicandam populis atque inſultandam, *& infra*. Hic honoris Beatæ Virginis deuotus Zelator, cum die quodã in platea ciuitatis Aquilæ de laudibus eiuſdem Beatæ Virginis ad populum ſermonem haberet omnes, qui tum aderant ſermonis auditores viderunt in aere ſtellam lucidiſſimam, quæ ſuos in hunc beatum vibrans radios, & faciem eius miro illuſtrabat ſplendore, & cor eius cœleſti, ac Diuino inflammabat ardore.

Mar-

Marcus Vlyſſiponenſis part. 3. Cronic. l. 4. in vita huius B. cap. 9.

FLoruit his temporibus Religio Obſeruantum Minorum ingenti numero virorum, doctrina, ſanctitate, ac miraculis illuſtrium. Sed inter omnes nullus in conuerſando fuit, atque gubernado gratior fratribus, atque acceptior Ioanne Capiſtrano, Religionique ipſi vtilior nemo, ipſo Romanæ curiæ acceptior, nemo canonici ciuiliſque iuris peritior: nullus memoria tenacior, atque indefatigando corpore ſibi ſimilis nemo: nullus ipſo in hæreticis Schiſmaticiſque inſequendis, aut ardentior, aut fortior, aut efficacior. Nullus ipſi, aut in fide, aut in opere, aut in miraculorum virtute ſuperior, & auidior martyrij, atque in animarum procuranda ſalute feruentior, denique erat vnus ex illuſtrioribus in ſanctimonia, atque celebrioribus quos haberet religio.

Aeneas Sylvius ſupra memoratus in hiſtoria Bohemiæ cap. 65.

HAnc primam Albam regalem oppugnare ſtatuit Mahometthes Turcas propter opportunitatem tranſeundi fluminis. Ioannes Capiſtranus Ordinis Minorum profeſſor vitæ ſanctimonia clarus, ea tempeſtate Hungaros in arma publicis ſermonibus excitabat. Qui vbi appropinquaret Turcas accepit nihil moratus, in albam ſe contulit, haud paruam cruceſignatorum manum adducens. *Et infra,* Capiſtranus ex turri clamitans Chriſtianos hortari, vexillum crucis oſtendere, opem de cœlo promittere, maledicere hoſtibus, Dei præſentiam implo-

implorare. *Et infra*; vidit ex muris Capiſtranus tranſuerſam hoſtium aciem inſidiaſque cognoſcens, reuocare ſuos cœpit. Cum parum exaudiretur, tympanis ac tubis confundentibus vocem, prœceps in pugnam dilabitur, atque inter duas acies inter tela volantia percurrens clamoribus, ac ſignis cruce ſignatos redire coegit, apud quos nulla erat Hunniadis vel fides, vel auctoritas.

Idem in Epiſtola 412.

FRater Ioannes à Capiſtrano honor Dei eſt, populi Prophetam in Germania quaſi habent.

Albertus Crantzius lib 11. Metrop. cap. 39.

POſt duos annos venit ex Italia Religioſus Pater Ioannes de Capiſtrano Ordin. Minor. reformationis excitator acerrimus Bernardini diſcipulus, eius, qui primus de reformatione eius ordinis curauit in Italia. Venit (inquam) in Magdeburgenſem prouinciam. Ipſius viri (vt ferebant) aſpectus monebat adſtantes, ipſe docentis apparatus (nam vernaculæ noſtræ expers, latina lingua vtebatur in populo) energiam fertur habuiſſe mirabilem, cum poſt illum ex fratribus, qui eum multi & præſtantes viri ſequebantur, interpretaretur populo, quæ ille antè enunciaſſet, vtriuſque ſermone in quintam horam extracto, cùm prior Ioannes in tribus, & qui ſequebatur per reliquum tempus diſſereret. Commouit vſque adeò populum vt omnia vana ludorũ genera, ſcaccos, aleas, quidquid id generis eſt conferrent in forum, fœminæ thoralia & ſtructuras capitis, ac alia redimicula vana vno igne, inſpectante populo concremarent.

T Idem

Idem ibidem cap. 51.

IOannes Capiſtranus Ordin. Minor. exſuſcitans obſeruantiam, de quo ſuperiori quodam loco diximus, tùm erat in Germania prædicans, miraculis coruſcans, ritum vitæ illius operæ precium eſt agnoſcere. Veſtitus ille de more dormiuit. Hic homo in terris cœleſtem, ſed ocupatiſſimam, & laborioſiſſimam vitam peregit; arido & exili erat corpore, annos natus ſupra 60. Quum inter Germanos ageret, ſolà cute & neruis oſſa hærebant, ſpiritu vegetante.

Idem lib. 11. Saxoniæ cap. 35.

IOanne Capiſtrano viro Religioſo de Minorum obſeruantia pro muris populum exhortante, & ad Deum clamante, cæſa ſunt hoſtium multa millia, interceptæ hoſtis machinæ &c. *Et infrà*, per quæ tempora idem Ioannes Capiſtranus obſeruantialis in Germaniam deſcendit, prædicans magno zelo verbum Dei in Auſtria, Bauaria, Sueuia, Turingia, & Saxonia; nàm in ciuitate Magdeburgenſi, &c. Ferè vt ſupra ex Metropoli, & poſteà; hoc conſtat virum fuiſſe incredibilis in vita, & moribus auſteritatis & ſanctitatis.

Paulus Langius in Chronico Citizenſi anno 1449.

IOannes Capiſtranus Prædicator verbi Dei excellentiſſimus, & feruentiſſimus B. Bernardini diſcipulus mira egit contra Turcas.

Idem

Idem Anno 1456.

TVrcorum circiter centum millia interfecti ſunt prope Taurinum oppidum, quod noſtra ætas Albam vocat, ad confluentes Danubij Sauique ſitum. Et id factum eſt à chriſtianis cruce ſignatis, Ioanne Capiſtrano pugnantibus chriſticolis Imaginem crucifixi oſtendente, & clamante, O Deus, ô Ieſu! vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ? veni in adiutorium genti tuæ.

Henricus VVilot è Scriptoribus Ordinis Minorum.

IOannes Capiſtranus ex Aprucij oppido, non longe ab Aquila Marſorum vrbe, Bernardini Senenſis olim diſcipulus & ſocius, nobili genere natus Anno 1385. Is Patre defuncto maternæ tutelæ relictus, illis, quibus puerilis ætas ad humanitatem informari ſolet, operam dedit, optimis educatus inſtitutis, ob ingenij ſolertis acumen & innatam memoriam vſque adeò liberalibus profecit diſciplinis, vt ab omnibus inde ſperaretur ingens ſeges adultæ ætatis. Expurgata ergo tyrocinij rubigine, Peruſiam ſe contulit, vbi Iuris vtriuſque decennali ſtudio, peritiam ita abſolutè fuit adeptus, vt non modò Coetaneos ſuperaret, ſed non videretur habere æquales, & non ſolum ſtudentes, ſed & Doctores quoque ipſi ab eius ore pendere non erubeſcerent. Anno ætatis ſuæ trigeſimo Diaconus factus, diuinis humaniſque litteris egregiè eruditus, concionatoris onerosò honore auctus, in Eccleſia Chriſti tanta præfulſit prudentia, vt in Vicarium Generalem Ciſmontanæ familiæ ſit delectus: vnde etiam non ob ſingularem in rebus agendis prudentiam, à multis Summis Pontificibus, præſertim Nicolai V. ad diuerſa munia, pro Eccleſia Romana obeunda, adhibitus eſt. Scripſit, &c.

Matthias à Mishouia rerum Polonicarum *lib. 4. cap. 59.*

IS Ioannes de Capiſtrano ferè quadraginta annis verbum Dei in Italia prædicando ſparſerat, & de licentia Nicolai Papæ V. de Italia egreſſus anno Chriſti 1451. in æſtate ad Olmuncz peruenit, & in Monaſterio Minorum ſtetit. Poſitaque Cathedra in circulo Olomucenſi, quotidie diligentiſſimè verbum Dei per duos interpretes prædicauit, vnum Bohemum, alterum Alemannum, rationibus, vt ſæpè confutans, non eſſe de neceſſitate ſalutis, vt populus laicalis ſub vtraque ſpecie communicaret, & ſermones ſuos prodigijs, ac ſtupendis curationibus infirmorum confirmabat. Hunc Sbigneus Cardinalis, & Epiſcopus Cracouienſis, tandem & Rex Kazimirus per litteras rogauerunt, vt ſi à Bohemis contemneretur, ad Poloniam venire non dedignaretur. Qui per Vvratislauiam tranſiens, cum legatis ſponſam, vt eſt præmiſſum, Regi Kazimiro ordinantibus, in Poloniam progreſſus, Cracouiam die Martis in feſto S. Auguſtini applicuit, & intrauit. Cui in obuium tota ciuitate effuſa ab omnibus ordinibus itum eſt, Rex quoque Kazimirus cum Sophia Regina, Sbigneus Cardinalis, & Epiſcopus Cracouienſis cum multitudine cleri, & militiæ, in campum ante Cleparz exeuntes ipſum exceperunt, & cum magno honore ciuitatem introducentes in Domo Georgij Suarez, ſeu Nigri in circulo hoſpitauerunt, & locauerunt, qui poſito throno iuxta Eccleſiam S. Adalberti, quotidiè lecta miſſa verbum Dei in latino duabus horis prædicauit. Alijs quoque duobus horis ipſa prædicatio in vulgari per aliquem ſacerdotem Polonum reſumebatur populo audiente, & ſine tędio prestolante. Vbi verò frigora, & ciues aduenerunt, locato throno in Eccleſia B. M. V. in circulo prope ſacrarium ſingulis diebus prędicationes continuauit.

Digitized by Google

nuauit. Manſit autem in vrbe Cracouienſi à die S. Auguſtini vſque ad decimam quartam diem Maij, ſub quo tempore magnam multitudinem infirmorum, cęcorum, claudorum, & alijs languoribus oppreſſorum, inſpectante populo curauit. Sub eo centum perſonę, & ampliùs ſacram Religionem S. Franciſci de Obſeruantia aſſumpſerunt. Quibus Sbigneus Cardinalis, & Epiſcopus Cracouienſis Monaſterium pro conuentu, & Obſeruantia in Stradomia in Germani ſui Ioannis de Oleznicza Palatini Sandomirienſi erexit.

Nicolaus Gillius in antiquis Annalibus Franciæ ſub Carolo VII: Rege ad annum 1455.

FRater Ioannes Capiſtranus poſt deceſſum Calixti Pont. aſſiſtebat nouæ Reformationi, & patrabat miracula, mortuuſque eſt poſt victoriam Chriſtianorum contra Turcas.

Idem ibidem.

ET dictus Capiſtranus addebat animum chriſtianis ita vt Turcæ dixiſſent tantam armatorum multitudinẽ ſe eſſe ſequutam, quod nullus ipſorum audebat retroſpicere: cum tamẽ illos nemo inſequeretur pręter Angelos.

Chronicon magnum Belgicum ad annum Domini 1449.

EAdem fere verba cum Gillio profert.

Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ad annum 1440.

BEatus Ioannes de Capiſtrano natione Italus, ordinis Minorum; S. Bernardini amiciſſimus, laboribus, maxi-

Digitized by Google

maximis pro Eccleſia perfunctus obijt anno Domini 1456.

Idem aduerſus Guillelmum Bartlaium in initio vbi de Scriptoribus nationis Italicæ.

BEatus Ioannes de Capiſtrano, qui doctrina, & miraculis Eccleſiam catholicam illuſtrauit.

Franciſcus Gonzaga Epiſcopus Mantuanus. Adde part. 1. tit. de primo Capitulo Generaliſſimo pag. 12.

BEatus P. Ioannes Capiſtranus ſummum Pontificem Eugenium IV. Florentiæ tunc in Etruria agentem, cui ob vitæ ſanctitatem grauiſſimos mores, atque dicendi facundiam gratiſſimus erat, quàm humillimè conuenit, ſecumque de multis Franciſcanum nitorem concernentibus, præcipuè vero de periculoſis Minoriticæ Regulæ tranſgreſſionibus, de ſui ordinis reformatione, deque recta gubernandi cura diſſeruit.

Henricus Spondanus Epiſcopus Apamiarum tom. 2. ſuorum Annalium ad annum 1441. num. 4.

POſtquam repetit verba quę Bzouius ex alijs aucthoribus deſcripſit, deinde ſubiungit: Miſſus itaque Capiſtranus à Pontificè in Germaniam vt Nuncius, & Commiſſarius Apoſtolicus, Generaliſque hæreticorum Inquiſitor;

ſitor; tanta populi reuerentia, & veneratione exceptus eſt, vt Sacerdotes cum plebe ei, vt Legatus Sedis Apoſtolicæ cum ſanctorum reliquijs obuiam procederent. Quem & magnus vir Cardinalis Cuſanus Germaniæ Legatus, egregiè laudaſſe, & Aeneas Epiſcopus Senenſis, poſteà Pius II. (cuius impulſu vidimus eum in Germaniam deſtinatum) magnificis præconijs extuliſſe, & vniuerſitates Lypſienſis, & Viēnenſis honorificis teſtimonijs decoraſſe, & Rex Kazimirus Poloniæ ſummis præcibus ad ſe, & ad reductionē Ruthenorum à Schiſmate Græcorum inuitaſſe, alij Principes videre ſummopere deſideraſſe reperiuntur: referente hæc de illo, & prædictas auctoritates producente Cochlæo; pariterque diploma Nicolai Pontif. recitante, quo omnibus, qui eius prædicationibus, aut celebrationi miſſarum intereſſent pœnitentibus, & confeſſis tres annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs relaxare; nec non ei redeuntes ab hæreſi abſoluere, & cum Eccleſiaſticis ſuper irregularitate diſpenſare conceſſit. De cuius etiam miraculis in curandis à quacumque infirmitate ægrotis per reliquiarum capitibus eorum admotionem grandia legas apud auctorem magni chronici Belgici. Apud Cranzium autem commouiſſe eum vſque adeo per Germaniam populum, vt omnia vana ludorum genera conferrent in forum, fœminæ & ſtructuras capitis, ac alia redimicula, igne publicè concremarent. Deinde num. 5. refert ſpondanus quomodo B. Ioannes ſe geſſerit cum Rochezana.

Idem Annô 1456. poſtquā refert pugnam Belgradienſem, deinde numero ſubiungit.

CApiſtranus defuncto Huniade nunquam amplius ridere viſus, veluti qui, tryumphante iam vi-

ctoriæ.

Digitized by Google

ctoriæ collega ipſe debita laurea priuaretur; demum vt qui in vita dilexerant ſe in morte non ſepararentur, & ipſe in languorem incidens corona donatus eſt decimo Kalendas Nouembris ſeptuagenario maior mortuus ad Villachium, Diœceſis Bambergenſis in agro Sirmienſi, atque in S. Franciſci æde ſepultus. Cuius corpus centum circiter poſt annis, cùm capto per Turcos Sirmio in Zolozianum Monaſterium delatum fuiſſet, ab impio hæretico Franciſco Perenio, direpto Monaſterio, pulſiſque Monachis, aut cæſis, confractum & indignis modis profanatum in profundum puteum proiectum eſt: non ſine diuina in Perenium vindicta. Capiſtrani vitam, præclaris eius geſtis, ſanctis documentis, miraculis quamplurimis, nec multum illius temporis rebus ad hyſtoriam pertinentibus ornatam; ex varijs auctoribus Henricus ſedulius Franciſcanus collegit & edidit, cuius annuam celebritatem in territorio Capiſtrani Aprutij oppidi prope Aquilam marſorum Vrben, vnde nobile genus, ac cognomen ordinis ducebat, ſeruandam Leo X. Pont. decreuit, licet nudum canonizationis honor ei exhibitus fuerit. Extant verò eius ſcripta cum eſſet doctiſſimus, omniſque iuris diuini ac humani conſultiſſimus, quæ enumerant alij.

Odoricus Raynaldus tom. 18. Annalium anno 1426. num. 18. loquens de Hæreticis.

Pontifex verę ſanctitatis ſplendore tunc radientem B. oannem à Capiſtrano Ord. Minorum eis appoſuit, qui inductam à tenebrioribus illis impietatis caliginem diſcuteret, eumque ampliſſima poteſtate muniuit, ut ipſos comprimeret, plecteretque.

Digitized by Google

Idem anno 1430. num. 6.

PRæcipuus reducendi ad veterem ſplendorem Minoritani Ordinis auctor erat Beatus Ioannes à Capiſtrano adminiſtro ſupremo ad ſancita perficienda collega adiunctus.

Idem anno 1445. num. 28. loquens de Antonio Corario Cardinale Bononienſe, ait.

COluit eumdem B. Ioannes à Capiſtrano eximijs miraculis coruſcus, ipſiuſque imperio eruditiſſimos commentarios de auctoritate Papæ, & conciliorum aduerſus Baſileenſes Schiſmaticos edidit, eidemq; dicauit.

Idem anno 1450. num. 4. loquens de canonizatione S. Bernardini.

INterfuit huic celebritati Beatus Ioãnes à Capiſtrano, qui vicaria cum præfectura toti minoritarum obſeruantium ordini præerat, quique ſtrenuam impendit operam, vt ſanctorum honores ipſimet B. Bernardino decernerentur; ac poſteà ſtupendis miraculis, vt teſtatur Kazimirus Poloniæ Rex in litteris inferiùs afferendis, plurimos è vicijs ad pietatem erexit.

Idem anno 1456. num. 25.

PLurimum operis ad comparandam pulchram ſpectabilemque victoriam illam contuliſſe B. Ioannem Capiſtranenſem non ſolum in accendis ad pugnam militibus,

Digitized by Google

bus, ac nomine Ieſu implorando, adeo vt Turcæ Chriſtianorum, nomen Ieſu viri Dei imperio inclamantium, ora & impetum ferre non poſſent, quaſi fulmine aliquo afflati eſſent; verum etiam in auertendis barbarorum inſidijs Aeneas Syluius, & Ioannes Tagliacotianus Minorita, qui interfuit teſtantur: narratque Monſtreletus illum imaginem Chriſti è Cruce pendentis in altiſſima turre extuliſſe exclamaſſeque, *ò Deus meus, Deus meus! ò altiſſime Pater, veni in adiutorium, veni & libera populum pretioſo ſanguine tuo, veni noli tardare: Deus meus vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ? veni ne Turcæ & increduli dicant, vbi eſt Deus eorum?* quæ cum diceret largos effudiſſe fletus: quo audito Chriſtiani confirmato animo, Turcas contrucidarint, vniuerſiſque caſtris hoſtilibus, tormentis bellicis, atque impedimentis ſint potiti.

Antonius Amicius ad Gregorium XIII. Pontificem.

Super libro Capiſtrani de auctoritate Papæ, & Concilij.

CVm inter cætera opus hoc de Papæ & concilij, ſiue Eccleſiæ auctoritate ad manus meas perueniſſet, tùm ob operis præſtantiam, tùm ob auctoris excellentem ſanctitatem, & auctoritatem typis illud mandare decreui. Hic namque auctor magnus ille Ioannes à Capiſtrano eſt è Minorum Obſeruantiũ familia, & mea Aprutina Prouincia oriundus, vir religioſiſſimus, doctiſſimus, mirabilium operum, diuinorumque miraculorum effector & viuens, & fato functus, cuius ego memoriam à puerilibus annis, vt licuit, ſummo ſemper honore, ac pietate proſequutus ſum.

Philippus Ferrarius in Catalogo ſanctorum Italiæ ad 23. Octobris pag. 664.

IOannes Capiſtrani Aprutij caſtello natus Peruſiæ literis, & legibus operam dedit. Factus doctor & Iudex, ac vxoratus aliquando Peruſia egreſſus in manus exulum incidit, in vinculaque conijcitur, cumque præces Deo, vt liberetur, effudiſſet, quidam habitu minorum indutus (qui S. Franciſcus fuiſſe creditur) ei per viſum ad idem inſtitutum adhortans viſus eſt. Expergefactus ſe coronam clericalem more Religioſo factam habere comperit. Peruſiam liber rediens 38. annos natus habitum minorum induit, mirèque cœpit in humilitate, paupertate, abſtinentia, & obedientia proficere. Nam adhuc nouitius à Magiſtro pãnum ex lebete ebulliente extrahere iuſſus, illum manibus in lebetem immiſſis abſque omni læſione extraxit. Profeſſus non ſine magna audientium vtilitate prædicare cœpit, & Dœmones ab obſeſſis eijcere, alijſque miraculis coruſcare, cùm apud Tuſculum puerum mortuum ſuſcitaſſe, & apud Aquilam quemdam, qui ſe ex deſperatione feneſtra proiecerat, a morte liberaſſe, & padum ſuper pallio, cum in nauem portitores noluiſſent recipere, traiecisſe cum ſocijs legatur. Multa pro Dei Eccleſia ſuſtinuit incommoda, Martino V. & Eugenio IV. Pont. max. in Pannoniam & Daciam miſſus, vbi multos ad fidem catholicam conuertit, in Germaniam quoque miſſus, admiranda in Auſtria, Bohemia & alijs locis prorſus ſtupenda quæ fecit, Ratisbonæ inter concionandum detrahentibus, & irridentibus diuinam prædixit vltionem, qui ſequenti nocte miſere interierunt. Eo Cracouiæ prædicante ſacra hoſtia à Iudæis percuſſa ſanguinem emiſit. Quod ſcelus eius ſtudio detectum non manſit multum. Profe-

ctus in Hungariam Chriſtianis inſignem de Turcis victoriam prçcibus ſuis impetrauit, qui in Italiam rediens apud Iuliacum in Corinthia febre correptus 10. Kalend. Nouembris Anno ſal. hum. 1450. Animam Deo reddidit, multis poſt mortem miraculis clarus, cùm non modo morbo oppreſſus, & corpore vitiatos ſanitati, ſed etiam defunctos vitæ reſtituiſſe legatur.

Gonſaluus de Illeſcas parte 2. hiſtoriæ Pontificalis lib. 6. cap. 15. fol 66.

ERat ea tempeſtate in Hungaria quidam Fr. Sancti Franciſci perſona ſanctiſſimæ vitæ, & maximus prædicator, vocatus Ioannes Capiſtranus ſocius Beati fratris S. Bernardini Senenſis: Iſte Ioannes Capiſtranus iam antequam veniſſet Cardinalis ſuis prædicationibus mouit infinitam multitudinem pro expeditione contra Turcam, qui illum ſequebantur, tàm vt audirent ipſius doctrinam, quam vt lucrarentur indulgentias, quàm etiam quod multa patrabat miracula. Qui cum pugnarent Sanctus Frater Capiſtranus ex vna turre, cum crucifixo in manu magnis vocibus animabat ſuos, magniſque execrationibus maledicebat, & annathematizabat infideles, magniſque lachrymis Deum inuocabat, vt faueret ſuis.

Idem ibidem.

FRater Ioannes ex turre aduertit inſidias, & magnis vocibus admonebat ſuos, nè longiùs à muris abſcederent, ſed quoniàm tubarum, & armorum ſtrepitu impediebatur eius vox, ne ab alijs audiri poſſet, in momento de turre deſcendit, ac diuino feruore plenus cum ſuo crucifixo in manu in medias lanceas, gladios, & bombardos

irruit,

irruit, nec ſolum detinuit ſuos ne ſequerentur hoſtem ob timorem periculi, quin etiam tantum valuerit eius exhortatio, vt illi, aſſumptis animis infideles in fugam verterent, relicto campo pleno ipſorum corporibus tam mortuis quàm vulneratis, ac ditiſſimis ſpolijs, ipſeque Mahomethes magno vitæ periculo in dextra mammilla vulneratus eſt.

Ioannes à Pineda quarta parte Monarchiæ Eccleſiaſticæ lib. 26. cap. 23. §. 3. & 4.

ERat huius belli Dux Illuſtris Ioannes Huniades, eratque Legatus Apoſtolicus Ioannes de Caruaial Cardinalis Hiſpanus, eratq; illis coadiutor religioſiſſimus Pater frater Ioannes à Capiſtrano Ord. S. Franciſci miſſus ad prædicandum hæreticis Bohemiæ, inter quos magnum fecit fructum, indeque copias traxit ad hoc bellum, tantumque illi ſuis prædicationibus, & præcibus contulit, quod Matthias Talmerius dicat, creditum fuiſſe Angelos veniſſe in auxilium chriſtianorum iuxta maiorem numerum Turcicarum copiarum. *Et infra*, Capiſtranus victorioſo feruore iunxit ſuos Bohemos, & Alemannos cum Hungaris Huniadis, & per hoſtilium caſtrorum ruinas ſecuti ſunt fugientes magna inimicorum ſtrage, ipſorumque tormentis poſiti ſunt, quod cum vidiſſet Turca volebat ſe proprijs manibus trucidare, circa hanc victoriam ſcribunt Nicolaus de Pharà, & Hieronymus Cutinenſis, Chriſtophorus Auarizio, & Petrus Sopronienſis religioſi ſocij Patris Capiſtrani, qui ibant cum illo, quod Ioannes Capiſtranus animauerit ſuos cruceſignatos, qui pro maiori parte erant ruſtici, & artifices ſine armis, & quod Beato viro cum ſuo baculo in manu illos ducente fecerunt perdere Turcam, quidquid ab illis ante lucratus

eſt,

eſt,& quod notum fuerit illam victoriam miraculosè Capiſtrani precibus obtentam fuiſſe.

Litera ſeù preces Friderici III. Imperatoris ad ſummum Pontificem Pium II.

BEatiſſime Pater Domine Reuerendiſſime. Religioſi Fratres Gabriel de Verona, cæterique Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia communiter nuncupatorum in terris noſtris hæreditarijs conſtituti, doctrinam fructiferam morum quoque, & beatæ vitæ conuerſationem bo. me. Fratris Ioannis de Capiſtrano eiuſdem Ordinis, dum vixit, profeſſi, quos dudum laudabiles nouimus ab experto, nobis ad memoriam ſinceris affectibus reducentes, tanto nos erga illum amoris feruore accendere; vt quem viuentem in ſæculo libenter colebamus, & nunc Mortuum quantum decuerit, ex intimis deſideramus venerari. Cum itaque Beatiſſime Pater, & præfatum Fr. Ioannem de Capiſtrano, ne dum in vita ſolum, verum, & ab humanis exutum claruiſſe, & coruſcaſſe miraculis, & prodigijs, fama exclamat, vt arbitramur, meritò benignè conſideranda ſanctitatem veſtram ea, qua poſſumus, deuotione obſecramus, quatenus, ſi negotium canonizationis illius apud S. V. & ſanctam Sedem Apoſtolicam agitare forſitan contigerit, etiam harum præcum noſtrarum intuitu proceſſus, in huiuſmodi obſeruari ſolitos, citius inſtituere, fauorabili ex ſolita benedictionis veſtræ clementia, rem ipſam committere, ac dirigere mandare dignetur, adeo, vt noſtram in his ſentiamus exauditam affectionem, nè inter alios forſitan prò hac petituros reputemur poſteriores, nobis ad exauditionem gratiſſimam pro ſingulari beneficio recognoſcendam. Datum 24. Octobris anno 1461.

Fride-

Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatię, Rex; Auſtriæ, Stiriæ, & Carinthiæ Carniolæ Dux Comes Tiroli, &c.

Eiuſdem hortatus ad ſceptra Regalia, alioſque Chriſtianorum Principes.

Vniuerſis, & ſingulis Ortodoxæ fidei cultoribus Regibus Fratribus noſtris chariſſimis ſalutem, regnorum veſtrorum felicia incrementa, & fraterni amoris continuum incrementum; nec non Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, tum electoribus, tum alijs Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Miniſtris, Officialibus Burgimagiſtris, Præſidibus, ac locorum quorumcunque Gubernatoribus, & Communitatum cæteriſque noſtris, & Sacri Imperij fidelibus dilectis gratiam noſtram Cæſareã, & omne bonum.

SErenissimi Reges Fratres cariſſimi, Venerandi Illuſtres, generoſi nobiles, atque fideles dilecti.

Doctrinam ſalutarem morum, & vitæ ſanctimoniam, quibus bo. me. Frater Ioannes de Capiſtrano Ordinis Fratrum Minorum profeſſus Regna, ditionem, & terras noſtras, dum ageret in humanis, quemadmodum agnouimus ab experto, rigauerit, fœcunditate commendabili ſubſecuta, intra mentis noſtræ arcana interna meditatione penſare dignum arbitramur, vt quem libenter colebamus viuentem in terris, nunc etiam à nobis ſublatum pro noſtra decentia ſtudeamus venerari. Quod tanto libentius prò noſtra poſſibilitate exquirimus, quo tanti viri, & multum vt diximus, commendabilem vitam in terris, & poſt eius tranſitum ipſum miraculis, & prodigijs plurimorum fida relatione percepimus coruſcare. Cum itaque prò ipſius

ſius canonizatione affectus, & deſideria noſtros ſanctæ tranſmittimus Apoſtolicæ ſedi, vos ſupradictos omnes, & ſingulos, ad quos præſentes noſtræ literæ peruenerint, hortamur, quatenus prò Dei honore, & prò tam Venerandi viri, ac operis huiuſmodi pietate, vobiſque ad gratiam complectentem propoſito noſtro prædicto, & fauores impendere velitis, & auxilia promotiuos, à Domino mercedem atq; à nobis gratiarum actiones recepturi condignas. Datum in oppido noſtro Gratz ſub noſtri Imperialis ſigilli appenſione teſtimonio harum, 24. Menſis Octobris anno Domini 1461. Regnorum noſtrorum, Romani XXII. Imperij decimo, vndecima indictione.

Regis Hungariæ ad præfatos.

Matthias Dei gratia Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Vniuerſis & ſingulis Orthodoxæ fidei Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Antianis, Prioribus, Iudicibus, ac Ciuitatum, & Communitatum Rectoribus præſentes viſuris, vel audientibus ſalutem, ac proſperos ad vota ſucceſſus.

NOs, qui Dominum laudare iubemur per Prophetam in Sanctis eius, dignum, & rectæ rationi, imò debitum eſſe arbitramur, vt laudemus pro noſtro poſſibilitatis modulo ſpecialiori quadam deuotione omnipotentem Deum in ijs, quæ operari dignatus eſt, maximè temporibus noſtris in hac noſtra ætate per ſeruum ſuum bonæ me. Fr. Ioannem de Capiſtrano, ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum, quem veluti mundiſſimum & integerrimæ vitæ ſpeculum, & virum ſanctiſſimæ conuerſationis, ipſe Deus glorioſus pro noſtra & regni noſtri gloria, tanquam alterum quendam Apoſtolum nobis dono, dedit. Nam vir iſte beatus natale ſolum deſe-

deſerens, dum pro colligendis animabus diuerſas mundi plagas, ſeminans vbique tam feruentiſsimè quàm deuotè Verbum Dei perluſtrare ſtatuiſſet, per multos ſanctę prędicationis ſudores tandem diuino nutu, vt non ambigimus, ſeipſum contulit in hoc regnum, cuius maximam partem in animi ſui potius, quàm corporis robore tenuit, ipſe tanquam robuſtiſſimus iuuenis circuiuit prædicans vbique ſine intermiſſione docens de regno Dei, Et quia id, quod docuit verbo, monſtrauit exemplo, vitaque eius, & conuerſatio non diſcrepauit à doctrina eius, ſtatim in ipſo ſuo ingreſſu, eius ſanctitatis fama diuerſas impleuit partes dicti regni noſtri, & tam deſiderabilis ab omnibus habebatur, vt beatiſſimum ſe putaret, qui eum aut videre vel ipſius colloquio conſolari potuiſſet. Tanta continuè de diuerſis ipſius regni noſtri partibus cōfluebat ad eum, non ſolùm populi, verum etiam Prælotorum, & Baronum, ac Nobilium multitudo, vt cum proponeret ipſis verbum Dei, non eos niſi campeſtris, vel latiſſima plateæ planities capere valebat; omnes enim qui habebant infirmos, ducebant illos ad eum, pro vt plurimi fideles noſtri multos, qui taliter ducti fuerant, recepta gratia ſanitatis ad propria cum lætitia remeaſſe teſtantur. Sed vir iſte hæc & ſimilia, non ſuis ſed Beatiſſimi Bernardini, cuius ipſe Biretum, & ſanctitas Reliquias ſecum portabat, & ſuper infirmorum capita ponebat, meritis, ob odium vanæ gloriæ, cuius pulueribus fœdari obhorrebat, adſcribere prò ſua humilitate ſolebat. Non defuit huic viro feruens deſiderium Martyrij, in ſuo ſanguine laureandi, ſi non defuiſſet perſecutor, qui in eius ſanguinem ſæuire voluiſſet, vel permiſſione diuina potuiſſet. Sanctæ Crucis ſignum à Reuerendiſſimo Ioanne Cardinali S. Angeli ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato ſuſcepit, quo ſuſcepto cruce ſignatus ipſe crucem prædicare cœpit, vt paruo temporis ſpatio magnam cruce ſignatorum multitudinem ſua prædi-

cationē conquiſiuit, illorumque animos ad excipiendum formidādum valdè ſeuiſſimorum, Turcarum inimicorum Crucis Chriſti impetum, non ſolùm audaces, verum etiam vt leones impetuoſiſſimè irruentes in prædam audentes fecit. Et cum Caſtrum finitimum dicti noſtri regni Nanderalbam Turcarum maxima multitudo infinitis pixidibus, ac bombardis, & omnibus ingenijs bellicis, quæ ad expugnandum ipſum caſtrum infidelium aſtutiæ potuerunt excogitare illic coniectis obſediſſet, cum illuſtri Principe, piæ mem. noſtro Domino, & genitore Ioanne de Hunyad, ipſe Beatus pater prò fide catholica mori paratus in ipſum caſtrum tam validè obſeſſum cum Cruce ſignatis vtrumque introiuit. Iam ex ea parte, qua bellum tam atrox acrius inferbuerat, murus exterioris caſtri per ingenia bellica deſtructus ſic terræ adequabatur, foſſata quoque ità repleta erant, vt liberè introitus, & exitus Turcis pateret, iamque in ipſa externa planitie caſtri bis pugna commiſſa fuerat, cum exercitus Chriſti ad exhortationem Beati viri in acclamatione nominis Ieſu, quod bellicum & militare ſignum ab ipſo Beato viro ſuſceperat in bello acclamando audaciter, & in maximo animi potius, quàm virium robore fide magis pugnaturus, quàm ferro irruit in hoſtes, tum ipſe B. Ioannes ſtans in loco eminentiori, vt in omnium manibus miles Chriſti pugnaret, omnes ad pugnam ſua exhortatione valenter pugnare prouocabat. Quid immoremur? Poſt multos tam acerrimi belli ſudores contritus exercitus ſathanæ à facie militum Chriſti verſus in fugam cum magna ignominia poſt ingentem ſtragem, relictis omnibus pixidibus, bombardis, machinis, & alijs bellicis ingenijs, confuſus nocte receſſit. Parta ergo tandem glorioſa contra hoſtes victoria ab inermi populo Chriſti ſi inermem dicamus populum quem Chriſti fides præclarè armauerat, caſtrum ipſum liberum euaſit ab hoſtibus. Hanc victoriam tam inſignem meritis

ipſius

Digitized by Google

ipſius Beati viri adſcribendam quis dubitet? Poſtremò vir plenus bonis operibus pro hac tranſitoria, & caduca vitam accepit vt non ambigimus, ſine fine manſuram, animam cælo, corpus terræ commendans; poſt cuius felicem tranſitum infinita illa miracula, & prodigia, quæ ad inuocationem nominis ipſius Beati Ioannis, & ad eius ſepulchrum delatis, vel ſaltim votum aliquod prò ipſius honore emiſſum, languidis etiam vſque modò, prout nonnullorum fidelium noſtrorum fida teſtimonia nos faciunt certiores, ad declarandum ſui famuli meritum, & gloriam operari non ceſſat Omnipotens Deus, clarè demonſtrat, ſanctiſſimam ipſius Beati viri animam in ſanctorum collegium aſſumptā lætitia perfuſam ſempiterna. Et quia dignum arbitrati ſumus, illum ab omnibus honorari in in terris, quem Omnipotens ſic exaltauit in cælis, poſt felicem noſtram electionem ad apicem Regię dignitatis, diuinitus factam, nobis, ſemper præcipuè curæ fuit, vt prò tanti, & tam integerrimæ vitæ viri canonizatione apud S. D. N. ſummum Pontificem inſtaremus, quod & indubiè feciſſemus, ſi diſturbia regni noſtri, quibus illud hactenus diuerſimodè quaſſatum extitit, nos ab hoc ſancto propoſito non impediuiſſent. Oramus dictis diſturbijs finem imponere, quo Domino concedente, prò eiuſdem Beati viri canonizatione, vt eſt in propoſito, omninò inſiſtemus. Hortamur autem vos, ò Chriſtiani Italiæ Principes, vt huic ſanctiſſimæ rei velitis eſſe tanto fauorabiles, quanto Sedi Apoſtolicæ eſtis propinquiores. Datum Budæ hac die 22. Menſis Martij, Anno Domini 1460.

Nicolai Vaiuodæ ad eoſdem:

Omnibus Chriſti fidelibus, tam eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus viris, & præſertim Principibus, Ducibus, Marchionibus,

Comitibus, nec non Ciuitatum, ſiue Communitatum Rectoribus præſentes literas inſpecturis, ſalutem, & ſinceræ charitatis affectum.

SI cuncta noſtri corporis membra verterentur in linguam, neque ſanctimoniam vitæ, neque excellentiam gloriæ beatiſſimi viri Ioannis de Capiſtrano Ordinis Minorum de Obſeruantia, dignè referre valeremus, quem licet Altiſſimus ipſe mirificis, ac continuis, & optimis operibus in alijs regnis exornauerit, in hoc tamē regno, poſtquam ad illud miſſus diuinitus aduenit, tanta per eum facta ſunt, vt non homo, ſed Angelus putaretur, omnes in ſui admirationem conuertens; nam etſi iam ſenio confectus eſſet, labores pro fide catholica, pro gloria Dei, pro conuerſione peccatorum ſubibat ineſtimabiles, vbique prædicans, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, cuius mirabilis vita nobis præ alijs in eum affectis ſatis nota fuit. Scimus, quod malorum animos ſua prædicatione immutauit, nam ſchiſmaticorum innumeratiſſimam multitudinem ad fidei vnitatem reduxit, infinitos errores contra dogma catholicum militantes penitus extirpauit: talium errorum fautorem, & magiſtrum ſua diſputatione conuictum non baptizatum in forma Eccleſiæ, baptizauit. Cruce ſignatis crucem prædicauit, & paruo temporis ſpatio maximam Cruce ſignatorum multitudinem acquiſiuit, ſtatuens cum cruce mori propter illum, qui pro nobis in cruce pependit. Turcarum potentiam ſub vexillo crucis, & S. Bernardini cum valido clamore nominis Ieſu Chriſti inermis confregit, atque proſtrauit, ſic totum hoc regnum proteſtatur, ſicque volente Deo, & auxilio quondam illuſtris Domini Ioannis de Hunyad Gubernatoris, ac Baronum, & Regnicolarum huius regni Hungariæ adhærentium, totam Chriſtianitatem de manibus Paganorum liberauit. Quapropter

Digitized by Google

pter non mirum, ſi omnibus Chriſti fidelibus huius ſanctiſſimi viri, zelo inflammati martyrij meritis dignas rependi vices peroptatur. Nos autem in eumdem beatum virum tantã gerimus deuotionem, vt non niſi ſua conuerſatione ſanctiſſima, ſuoque colloquio dulciſſimo conſolari affectaremus: qui etiam quodam amoris ſpiritualis vinculo erga nos detinebatur; nam inter alia dilectionis ſigna, quæ nobis exhibuit ipſe vir beatiſſimus, fuit quod cum per plurimos deſiderauiſſemus habere Fratres de Obſeruantia nuncupatos in ciuitate noſtra HuuilaK, ſua opera, ſuoque iuſſu factum eſt, vt Fratres clauſtrum notabile ibidem receperint, quod diuinitus factum eſſe arbitramur, cum illud iam ſui ſanctiſſimi corporis ſepulchrum daretur. Poſt prædicta, & multa alia ab eodem mirificè perpetrata, pluribus meritis in dicta ciuitate noſtra de Huuylak, vt ſemper optauit, feliciter migrauit à ſæculo, poſt cuius felicem obitum confeſtim ſigna apparere cœperunt, & adeò vſque in hodiernum diem creuerunt, vt ad ſuum ſanctiſſimum ſepulchrum, tanquam ad ſepulchrum Apoſtoli, vndique populi confluerent, de quibus miraculis non paruum regiſtrum factum eſt. Non deſinit Deus Omnipotens operari miracula per ſeruũ ſuum fideliſſimum, de quibus etiam miraculis, licet noſtrorum fidelium veridica relatione certitudinem habeamus, vidimus etiam proprijs oculis nonullos varijs languoribus detentos ob merita ipſius beati liberatos. Audiuimus etiam Sereniſſimum Regem noſtrum coram multis Baronibus, & nobilibus dixiſſe, ipſum fuiſſe liberum de carceribus, & electum in Regem, emiſſo voto ad ipſum B. Patrem. Nos quoque in perſona noſtra multiplicem ipſius B. Viri gratiam experti ſumus, nam cum maximam capitis noſtri vertiginem pateremur, mox vt quodam panniculo, quod fuerat ad vſum ipſius viri Dei, caput cinctum fuit infirmitas omnis abſceſſit. Quapropter dubitari non debet

bet tantum, & talem virum, quem Deus in vita, & poſt mortem glorioſum oſtendit, non eſſe in cælis gloria, & honore coronatum. Dignè igitur in memoriam hominum verti debet, qui ad gaudium tranſiuit Angelorum. Semper in animo noſtro verſatum eſt, ſemper maximo flagrauimus deſiderio, quod apud Summum Pontificem canonizationem poſtulamus; nos maximè, quibus tale donum in ciuitate noſtra Deus donare dignatus eſt; ſed tanta fuerunt diſturbia in hoc regno, & præſertim in dominio noſtro vt canonizationem ipſius beati viri, ſicut eſt in propoſito inſiſtere non valuimus. Nunc autem diſponemus, vt tam Sereniſſimus Dominus meus Rex, quàm etiam & nos ſpeciales, & notabiles Legatos ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum Papam, & ad Collegium Cardinalium pro hac cauſa deſtinemus. Hortamur autem vos, & oramus in Domino, vt quemadmodum tàm ex literis, quàm etiam relatione percepimus, dignitates veſtras huius ſanctiſſimi viri canonizationem peroptare, ità huic operi fauorem, quia ſanctiſſimum eſt, & induſtriam præſtare velitis ab illo meritorium ſpectandum in cælis, cuius honorem, & exaltationem expectatis in terris. Valete ad vota feliciora; Datum in Caſtro noſtro Palotha in dominica, qua cantatur diuinum officium: Iudica me Deus, &c. anno Domini 1460.

Ciuium, ſeu Magiſtratus Villiaci ad Principes pariter Chriſtianorum.

Vniuerſis, & ſingulis Orthodoxæ fidei cultoribus, Prinsibus, videlicet Ducibus. Marchionibus Comitibus, Iudicibus, ciuitatumque, & communitatum rectoribus, nec non venerabilibus DD. Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, ac parochialium Eccleſiarum rectoribus, & quarumuis dignitatum præ-

præminentia refulgentibus in Italiæ partibus, vel alibi vbiuis in Orbe Chriſtiano demorantibus DD. noſtris colendiſſimis, & in Chriſto Ieſu amicis peramantiſſimis. Iudex, Iuratique ciues, & tota Communitas ciuitatis Hunylak regni Hungariæ ſalutem, & proſperos ſucceſſus cum paratiſſima obſequendi voluntate.

QVandoquidem omnium ferè Chriſtianorum noſtri potiſſimum regni vota, deſideriaque ad id aſpirare, atque accendi certa experientia dierum comperimus, & claris inditijs nobis oſtendi intuemur, vt præclaræ memoriæ vir beatus Fr. Ioannes de Capiſtrano Ordinis Minorum de Obſeruantia cathalogo ſanctorum abſcribatur, nos quoque qui in noſtra ciuitate eius reliquias corporis reconditas habemus, & plurima beneficia erga eius ſepulchrum multi incolarum noſtræ ciuitatis receperunt, & in dies recipere nō deſinunt, tanto feruidius id deſideramus, imò procuramus, prout vires nobis ſuppetunt, tenemur, & obligamur, vt vir iſte beatus noſtræ ciuitatis fulcimen, & ornamentum, atque decor inter alios ſanctos cathalago adſcribatur ſanctorum. Nos equidem qui iugem in hac noſtra ciuitate moram trahimus, iſtorum, quo altiſſimus per beati viri merita operari non ceſſat, prodigiorum, miraculorum veri teſtes eſſe valemus, quandoquidem ex diuerſis partibus longè, propèque poſitis, hinc inde populum innumerū turmatim ad ipſius beati viri ſepulchrum conſpicimus, inter quos alios à cæcitate ad lumen clarè viuendi concernimus, alios à ſurditate curatos, alios à mutitate ſanatos, alios ab impotentia ambulandi recto greſſui reſtitutos, alios paralyſi plenè liberatos, quoſdam verè contractos, & aridos integræ ſanitati reſtitutos, plurimos à demonibus liberatos, in extremis quoque laborantes, & agonizantes à faucibus mortis erutos, cæteroſque quoque quibus ſpes viuendi perierat, & mortui fuerant, emiſſo

pro

pro ipſis voto ad ipſum B. Ioannem, incolumes rediſſe, iam toties experti ſumus, & experimur inceſſanter. Multa nihilominus alia ſunt, quæ longum foret calamo exarare, quæ apud nos regiſtrata tenentur in Monaſterio Virginis glorioſæ apud Fratres Minores, quorum veritas nobis clara eſt, & manifeſta; quæ profectò omnia quadam auiditate certiores voce atteſtamur, ipſum beatum noſtrum noſtræ patronum ciuitatis, vt ſperamus, perpetuò futurum, ſanctorum cathalago adſcribi fore digniſſimum. Quapropter prçſtātiſſimi Domini, & amici noſtri in Chriſto partium prçcipuè Italiæ prænominatis omnibus vocitati, vniuerſi ciues in Domino requirimus per præſentem præclaras dominationes veſtras, qui Sedi Apoſtolicæ propinquiores exiſtitis, potenteſque apud eandem ſedem vos eſſe non abigimus quando pro extollentia dicti hominis, proque augmento Catholicæ fidei, & fauore deuotionis populi Chriſtiani, nec non pro conuerſione infidelium, veſtræ placeat dominationi apud prædictam Sedem Apoſtolicam veſtras porrigere ſupplices tàm humiles, quàm deuotas, & frequentes preces ad S. D. N. Pontificem Romanum, vt virum prænominatum S. Ioannem cathalago dignetur adſcribere ſanctorum; quod nos miro affectu deſideramus, pariter & poſtulamus, prout magnificus dominus noſter Nicolaus de HuuylaK Vayuoda id ipſum deſiderat, & affectat, operamq; huic rei ſanctæ dare ſpondet, prout ſuo ſcripto mandauit, ab illo vnà nobiſcum ſperans recipere mercedem, qui ſuos ſanctos mirifice internis prodigiorum ſignis, & ſtola immortalitatis veſtit in cælis, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in quo vos ſperamus, & deſideramus benè valere. Datum in dicta ciuitate HuuylaK die 9. Aprilis, anno Domini noſtri Ieſu Chriſti 1640. Ad prædictorum verò robur, & teſtimonium verax præſentes munimus noſtri maioris, ac conſueti ſigilli appenſione.

Can-

Cardinalis Auguſten ad Pium II. S. Pontificem.

Beatiſſime Pater, & clementiſſime Domine, poſt deuotiſſima pedum oſcula beatorum.

QVantis virtutibus, meritiſque beatæ memoriæ Fr. Ioannes de Capiſtrano, dum in humanis ageret, claruerit, nedum vna, ſed plures per Orbem Nationes cognouerunt, & præ alijs cunctis veſtra Beatitudo nouit optimè; Quot ſanis doctrinis Eccleſiam Dei ædificauerit; propter quæ apud infinitas fidei Chriſtianæ perſonas eius multa deuotione celebris memoria colitur. Vnde & Imperatoria Maieſtas, & Fratres Ordinis Sancti Franciſci de Obſeruantia, multis clarere miraculis aſſerentes eundem, illius canonizationem ſumma deuotione deſiderantes, requiſiuerunt, & per me ad hoc opem conferri. Cum autem, clementiſſime Pater, hoc ſanctum deſiderium, iuſtum, & rationabile videatur, ſupplico propterea clementiæ veſtrę deuotis precibus, quatenus circa hanc materiam preces offerendas miſericorditer exaudire dignetur, in ea ſingularem gratiam mihi, & multis Chriſti fidelibus conferet beatitudo veſtra, quam Omnipotens Deus prò felici ſtatu ſanctæ Matris Eccleſiæ feliciter dignetur conſeruare. Ex Ratiſpona die 22. Octobris anno Domini 1462.

Eiuſdem ſanctitatis veſtrę humilis ſeruulus Petrus Cardinalis Auguſten.

Epiſcopi Cracouienſis ad eundem.

Beatiſſime Pater, & Domine gratioſiſſime.

SPlendor, & rara virtutum magnitudo, & operum, quibus, & in fidei Orthodoxæ, religioniſque noſtræ de-

ſenſione, dilatatione, & incremento, & in diligendo Deo, ædificandoque proximo, & in aſperitate vitæ paupertatem profundam exprimente, vir ſacerrimus, & inſignis Fr. Ioannes de Capiſtrano ſub Ordine, & Regula ſancti Franciſci militans, dum ſub carnis ſarcina inter mortales viueret, emicuit; ſtupenda quoque miracula, quibus mortuis vitam, cæcis viſum, ſurdis auditum, paralyticis, contractis, & varijs oppreſſis languoribus ſanitatis vſum ad ſui nominis inuocationem, ſuaque prece, interceſſione, & ſuffragio Diuinitus concedendo, ipſum extulit, dignificauit, & in cælicolarum numerum tranſtuliſſe monſtrauit. Ingens inſuper affectus, labor cura, & ſtudiũ, quos vir ille apud regiones, & populos Polonorum erudiendo, arguendo, obſecrando, & reſecatis vitijs, & abuſibus, virtutes, & mores optimos plantando, ſemen quoque multiplex ſuæ ſanctimoniæ, & vitæ in diuturna duraturum tempora relinquendo, impẽdiſſe compertus eſt, à me exigunt, vt ſanctitatem veſtram pro illius canonizatione omni conatu, niſu, & ſtudio, omni interceſſione, prece, & ſuffragio defatigem; ſi enim aliorum beatorum virorum Deo placentium, & in pari religione populos intra Alpes ædificantium, per anteceſſores ſanctitatis veſtræ facili, & liberali annuentia, ſummoque conſenſu nomen amplificatum eſt, dignificatum, & honoratum, quanto ampliori, vt cum venia cæterorum loquar, hic amplitudine, honore, & canonizatione dignus eſt, qui labore, & prædicatione Ciſalpina parum contentus, etiam illam in Tranſalpinas nationes transferens maiorem Europę partem vitæ, & doctrinę ſuæ ventilabro purgatam, rigatam, & illuſtrem reddidit, qui mundi & carnis, quibus illum, & paterna ſucceſſio, & maior ſanguis hæredem, & competem fecerat, abdicatis illecebris altiſſimam egeſtatem candore vitæ, & virore munditiæ ſectatus, in moderni malignitate temporis, Vir verè Apoſtolicus, pro vt erat, cenſebatur; qui poſtquã-

eum

rum quadraginta, quibus in diffundendo verbo vitæ, in extirpanda, confutandaque hæreſi nocte interdiuq; conſtantiſſimè, & iugem in modum deſudauit, decurſum, nullamque ſibi cum ætate, quæ illi contigerat, decrepita faciens, cõtrouerſiam ad propulſandam Turcorum rabiem, quam etiam potentes Orbis Principes pertimuiſſe notatum eſt, cum tenui, & inermi, quem ex voluntarijs millibus adunauerat, exercitu, finem dierum ſuorum Martyrio conſumaturus, profectus, ſuperbum illum & noſtræ fidei, ac religioni inſultantem Turcorum Cæſarem, armis ſuorum meritorum & fidei, non ſecus quàm Amalechitas quondam Moyſes oratione vicit, & conflixit, & ab obſidione Caſtri Albæ regalis, cuius ſibi muris, & mænijs demolitis, & ſolo æquatis conquiſitionem Turcus facilem deſtinabat, turpiter operibus deſertis, fugere cœpit. Quæ res ſola, ſi innumerabilia alia & humanam fidem, credulitatemque traſcendentia, quibus futura implenda & impleta, ipſam quoque veſtræ ſanctitatis ad Apoſtolicæ ſedis faſtigium aſſumptionem prædicere longè ante ſcitus, non extarent, ſufficere cenſet humanum iudicium ad præfati beati viri glorificationem. Humilius itaque quo poſſum veſtram ſanctitatem deuoto, & attento ſtudio deprecor, dignetur ſanctitas veſtra his, & alijs in auditorio veſtræ ſanctitatis ſingillatius vberiuſq; deducendis, attentis, præfatum virum beatum Ioannem Capiſtranum pro Dei honore, fidei ſanctæ augmento, conuerſione infidelium & exterminio hæreticorum, numero ſanctorum, & cathalago adſcribere, & diuorum, cæleſtiumque conſortio apud cætum fidelium aggregare, vt de tam nobili, & inſigni patrono vniuerſalis Eccleſia gratuletur, & gaudeat, ac floreat, regio noſtra exultet, barbaruſque, & hæreticus contremiſcat; vt qui apud triumphantem Hieruſalem beatorum conſortio, & ineſtimabili dulcedine viſionis Dei, vt communis præſupponit credulitas, perfruitur, mili-

Digitized by Google

litātem ſuis meritis,& ſuffragijs iugiter adunare ſentiatur, quatenus hæc tàm frequens ſanctorum in tempus veſtri Pontificatus accidens glorificatio, & laudem perpetuam apud mortales veſtræ ſanctitati accumulet, & mercedem tandem poſt cineres tribuat ſempiternam. Datum Melſtin 3. Decembris anno Domini 1462.

Eiuſdem ſanctitatis veſtræ humilis,& obſequentiſſimus ſeruitor Iacobus Cracouien Epiſcopus.

Epiſcopi Miſnen ad prefatum.

POſt deuota pedum oſcula beatorum cum deuotiſſima immediatæ ſubiectionis profeſſione, ac humillima recommendatione, atque ea qua decet honoris, & reuerentiæ;debitæque obedientiæ dilatione. Beatiſſime Pater; ſanctitatem veſtram credo ſæpenumero clarè accepiſſe celeberrimam famam morum, & vitæ honeſtatem, beatamque conuerſationem religioſiſſimi viri Fratris Ioannis de Capiſtrano Ordinis Minorum de Obſeruantia dum ageret in humanis, quem profiteor etiam aliquandiù in diæceſi mea Miſnen. Vitam laude,præconio,gloria,& honore dignam egiſſe, ſuauiſſimas doctrinas prò incremento fidei Orthodoxæ, vulgi etiam totius eruditione admodum docto eloquio, pia vtique exhortatione, ſingulis diebus fudiſſe, hæreſes quaſcumque in primis perſecutum fuiſſe, ludos in omni genere nefarios damnaſſe,& infinitos fermè obſtinatos ad penitentiam reduxiſſe exemplo,& verbo iuſtis,honeſtiſſimiſque honore dignis,claruiſſe, quem ſanctitati veſtræ ob inſigna ipſius merita non ſufficio recommendare. Accepta igitur informatione quod ſanctitas veſtra; atque Imperialis Maieſtas pro canonizatione eiuſdem pij Patris ſit ſatis ſollicita, cum & ego humilis creatura Fratres dicti Ordinis Minorum de Obſeruantia gratuitè, vbi poſſum foueam, cadere vna cum di-

Digitized by Google

ſtis Fratribus ad ſanctitatis veſtræ pedes humillimis recurro præcaminibus; vt pro laude Dei, & honore omnium ſanctorum, ac incremento totius Eccleſiæ militantis, pro canonizatione eiuſdem pij Patris intendere velitis, meque humilem creaturam eadem ſanctitas veſtra recommendatum ſuſcipiat, reddo enim me obligatum ad omnem obedientiam ſanctitati veſtrę longibus temporibus. Quam Altiſſimus conſeruare dignetur feliciter, & longæuè pro regimine Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Ex caſtro meo Mogelin anno Domini 1462. 11. die menſis Auguſti.

Humilis creatura Gaſpar Epiſcopus Miſnen.

Epiſcopi Eyſteten ad ſummum Pontificem.

Beatiſſime Pater, ad deuota pedum oſcula beatorum Domine clementiſſime.

REdditæ ſunt mihi iam pridem literæ Imperiales, quibus intellexi Maieſtatis ſuæ deſideria, quæ pro celebritate nominis colendi, ac verè beati viri olim Fr. Ioannis de Capiſtrano gerit, atque præcibus ſuis meas quoque adijcere rogatus ſum. Libenter profecto hæc tam pia vota iuſtiſſimi Imperatoris si tanti eſſet authoritas mea, promouerem, at virtutes viri, multa, ac varia, quæ pro ſancta Catholica geſſit Eccleſia non omninò ſilere me ſinunt, quin ſanctitati veſtræ ſupplex ſim. Non dubito Beatiſſime Pater, beatitudo veſtra tanto faciliorē præcibus meis, atque adeò omnium ſe probebit, quanto ſpectatior eidem, & notior viri tàm præclari vita fuit. Vidit clementia veſtra religioſam ſeueritatem eius, audiuit ſaluberrimam doctrinam, quæ non modo Alemaniam noſtram, verùm magnam Chriſtianæ vniuerſitatis partem abundè refecit. Itaque minimè dubito, quin pro his claris virtutibus, & ſalu-

Digitized by Google

ſalubri prædicatione immortalitatem nominis reddere studeat ſanctitas veſtra & eum, qui vita ſanctiſſima,& poſt mortem miraculis claruit,claretque cælicolarum numero adſcribat. Quod vt beatitudo veſtra faciat, humiliter ac ſummo ſtudio ſupplex oro: ſatisfaciet præcibus meis, ac expectationi vulgi quod eundem Ioannem, & viuentem coluit, & mortuum inter ſanctos venerari non dedignatur. Omnipotens pro felici incremento Eccleſiæ ſuæ ſanctæ longeuè conſeruare dignetur ſanctitatem veſtram colendiſſimam, cuius pedibus me,& Eccleſiam meam humiliter commendo, Datum in Oppido Berchingen primo Octob. anno Domini 1462.

Eiuſdem ſanctitatis veſtræ humilis minimuſque. Capellanus Ioannes Epiſcopus Eyſteten.

Ioannis, et Sigiſmūdi Germanorum Palatini Rheni Comitum, ac ſuperioris, et inferioris Bauarię Ducum ad eundem.

Beatiſſime Pater, & Domine clementiſſime humillima recommendatione ad deuota pedum oſcula beatorum.

ARbitramur ſanctitatem veſtram non laterè celeberrimam famam morum, & vitę honeſtatem,beataque conuerſatione vberrimam, ac fructiferam doctrinam Religioſiſſimi viri quondam Fratris Ioannis de Capiſtrano Ordinis Minorum de Obſeruantia dum in humanis continebatur, copioſiſſimè,imò largiſſimè tàm per verbi diuini ſeminationem, quàm per varia,vt audiuimus prodigiorum miracula, populis Domino cooperante, in non nullis Regnis, Ducatibus, Prouincijs inſtruendo ſplenduiſſe. Orthodoxamque fidem ſcripturis authenticis approbando, multumque populum virtutibus decorauit, & à di-

uerſis

uerſis vitijs, & malis conſuetudinibus remouit, & ſaluberrimis ipſius doctrinis ad cultum fidei Chriſtianæ conuertit. Quem etiam ſanctitati veſtræ ob inſigna ipſius merita, non ſolum in vita, ſed etiam ab humanis exutum, magnis miraculis, & prodigijs plurimis in locis clareſcere intelleximus, non ſufficimus recommendare. Percepimus etiam apud ſanctitatem veſtram, Imperialem Maieſtatem pro ſui canonizatione ſatis eſſe ſollicitam, plurimoſque alios Principes, cæteroſque Barones, & Comites ex ſpeciali deuotione apud eandem ſanctitatem veſtram eundem fratrem Ioannem de Capiſtrano promouiſſe. Nos igitur, qui Fratres dicti Ordinis Minorum de Obſeruantia gratuitè in domino noſtro vbi poſſimus, fouemus, & obſeruamus, ſanctitati veſtræ humillimis precibus ſupplicamus vnà cum antedictis Fratribus pro rei tàm dignæ expeditione celeri, atque votiua, pro quo Omnipotens Deus veſtram dignetur ſanctitatem in ſtatu proſpero; & tranquillo, longeuo tempore feliciter conſeruare. Datum ex Ratiſpona vigeſima quarta die menſis Octobris anno Domini &c. ſexageſimo ſecundo.

Eiuſdem ſanctitatis veſtræ deuoti filij Ioannes, & Sigiſmundus Fratres Comites Palatini Rheni, ac ſuperioris & inferioris Bauariæ Duces.

Alberti Marchionis Brandeburgenſis ad Romanum Pontificem.

Beatiſſime Pater, & Domine clementiſſime poſt deuota pedum oſcula beatorum humillima recommendatione præmiſſa cum paratiſſimo animo in ſingulis obſequendis.

DIdici, Sereniſſimum Dominum Imperatorem Dominum meumque Meum gratioſiſſimum, cum nonnullis

nullis ſacri Imperij Principibus apud ſanctitatem veſtram ex imis ſollicitum pro canonizatione Religioſiſſimi quondam Fratris Ioannis de Capiſtrano Ordinis Minorum, qui dum ſpiritus viuax ſuos regeret artus, Orthodoxa religione, & ſalutari doctrina ſe quaſi immortalem reddidit, vt & nunc mortali ſarcina exutus peruulgata fama circumquaque miraculoſis inſignijs ad ſidera vſque elatus clarè perſonetur. Ob hoc nempè, & quia ſui Ordinis Fratres ſingulari fauore complectorum, eandem V. Sanctitatem deuotiſſimis affectibus orans, quatenus id ipſum veſtra ſanctitas ſingulari gratia votiuè perficere dignetur in hoc precibus omnium noſtrum orantium ſpe æternæ mercedis annuendo, ex Ratiſpona die Dominica ante feſtiuitatem SS. Simonis, & Iudæ anno Domini 1462.

Eiuſdem Veſtræ Sanctitatis obedientiſſimus Albertus Marchio Brandeburgen, &c.

Capituli Eccleſiæ Cracouienſis ad præmiſſum.

BEatiſſime Pater, & Domine clementiſſime. Intelleximus non nullos Reges, Principeſque catholicos pro canonizatione olim Venerabilis Patris Fratris Ioānis Capiſtrani de Ordine Minorum ſanctitati veſtræ ſupplicare, inter quos & Dominus noſter Sereniſſimus Princeps Dominus Caſimirus Rex Poloniæ ſuper eadem re preces ſcripſit ſpeciales; & quia ne dum hæc noſtra Cracouienſis ciuitas, verum etiam totum Poloniæ regnum ex perſona dicti Venerandi Patris, dum ad has applicauerat partes maximum lætitiæ receperat fructum, tum in vitiorum extirpatione, plantationeque per continuas prædicationes virtutum, ac diuerſarum hominum curatione ægritudinum, in tantum quod præfatum Patrem non ex Italia, de qua ortus fuerat, miſſum, ſed de cœlo incuebatur

elap-

elapſum, qui etiam plura Monaſteria Ordinis ſui Obſeruantiæ ſtrictiſſimæ in partibus noſtris inſtituit, & erexit, ſic quod in toto Poloniæ regno præfatus olim vir prætioſiſſimus gloriam de ſe nulla ætate delēdam reliquit. Quare beneficijs talis & tanti Patris pulſati, eidem ſanctitati veſtræ & nos maioribus, quibus valemus, ſupplicamus præcibus, quatenus præfatum olim ſanctiſſimæ memoriæ virum Fratrem Ioannem de Capiſtrano canonizare, & catalago adſcribere ſanctorum dignemini gratiosè, attento quod ipſe nedum in vita; ſed etiam poſt mortem miraculis coruſcat, pro vt ad nos hęc fama multorum deuenit veridicorum relatu. Datum Cracouiæ die Saturni quarta mensis Decemb. anno Domini 1462.

Eiuſdem veſtræ ſanctitatis inutiles exoratores, adminiſtrator, & Capitulum Eccleſiæ Cracouienſis.

Epiſcopi Reatini ad Cęſarē omneſque Reges, & Principes Chriſtianorum.

Sacratiſſimæ Imperatoriæ Maieſtati, Sereniſſimo Regi Hungariæ, cæteriſque Principibus, Ducibus, Baronibus, & Dominis Orthodoxæ, Catholicæque Religionis, & veræ fidei pijſſimis deuotiſſimiſque cultoribus. Humilis ſeruus, deuotus filius veſter Angelus Epiſcopus Reatinus, magnificæ Ciuitatis Bononiæ pro ſancta Romana cum plena poteſtate Legati de Latere Gubernator, humilem commendationem atque in ſingulis obſequendi promptitudinem.

QVamuis præclara geſta Reu. olim Patris Fr. Ioannis de Capiſtrano, quæ viuus, & mortuus Altiſſimi gratia peregiſſe cōſtat, vſq; adeo nota ſint, & manifeſta, vt totum iam pœnè terrarum orbem cōpleuerint, nomenque illius celeberrimū multiplicibus ornatum, exaltatumque miraculis ad extremas Chriſtianorum regiones vſque

peruenerit, ita vt ad ſummam gloriam in Domino conſe-quendam nullo alio teſtimonio indigere videatur. Nihilominus confirmatæ iam diù veritati meam quoque atteſtationem adiungam, has noſtras VV. Maieſtatibus, dominationibus, & excellentijs ſcribere non dubitaui, cum præſertim mihi perſpecta, proſpicuaque fuerit pluribus annis, & multis in locis illius ſancti viri, non mundana vllatenus, ſed cæleſtis omninò conuerſatio, eo enim potiſſimum tempore quo per fel. rec. Nicolaum V. Pontificem indagator, ac perſcrutator miraculorum B. Bernardini, eiuſque canonizationis promotor inſtitutus, atque præfectus fuit idem Frater Ioannes, mihique commiſſus fuit proceſſus ſupradictus, continuis decem menſibus cum præfato ſancto viro dies, ac noctes per diuerſas ciuitates, oppida, caſtra, & loca conuerſatus fui, & in omnibus eius actibus, totaque ipſius conuerſatione miram, ac penè incredibilem deprehendi ſingularis vitæ integritatem, ac ſanctimoniam, omni penitus macula, & labe vacantem, & à terrenis quidem prorſus alienam, diuinis verò ſolis coniunctam, atque abſtractam, quem profectò credo æterna vita frui, quoniam illum verè, ac penitus tranſitoria, & caduca ſpreuiſſe, atque abieciſſe cognoui. Omitto autem infinitas eius laudes, quas recenſere longum eſſet, ac faſtidioſum, & in primis ſuperuacuum apud illos præſertim qui gratiæ, & virtutis diuinæ in ſanctum virum collatæ, atque infuſæ longè melius conſcij ſunt quàm ego. Quoniam verò nuper intellexi ſanctiſſimi Patris canonizationem non immerito agitari, & quidem non ambigo, Dei voluntate, ac nutu id ipſum totum fieri, ea propter præfatas Maieſtates, dominationes, & excellentias veſtras oro, & obteſtor in Domino, vt tam pio, tamque ſancto, laudabiliſſimoque operi fauoribus aſſiſtere, omnique ſtudio, induſtria, & ſolerti cura anniti dignemini, vt ad honorem, & gloriam Omnipotentis Dei, ipſiuſque Seraphici

phici

phici Franciſci probatiſſimæ religionis, & fidei Chriſtianæ ſublimationem, ac triumphum ad optatum, & felicem perducatur effectum, quod piè, ſanctè ac inſpirante numine cœptum eſt. Vt idem Omnipotens Deus, atque æternus per eiuſdem ſanctiſſimi Ioannis merita, & interceſsionem maieſtates, dominationes, & excellentias VV. anima, & corpore ſaluas efficiat, & conſeruet per gratiam in præſenti, & gloriam in futuro, quibus me plurimum, ac humiliter commendo, ac totum offero. Datum Bononiæ 24. Iunij 1459. ſub noſtro rotundo ſigillo.

Epiſcopi, ac Principis Aſculani, & Palatini Comitis ad preſatos.

Sacratiſſimæ Imperatoriæ Maieſtati, Sereniſſimo Regi Regni Hungariæ, ac Reuerendiſſimis in Chriſto Patribus, & Dominis DD. S.R.E. Cardinalibus, cæteriſque RR. PP. & DD. Archiepiſcopis, & omnibus præfatæ Eccleſiæ Prælatis, vniuerſiſque Principibus, & Dominis in terris, & locis Chriſtianæ religionis iuriſdictiones habentibus, recomendationes præmittit humillimas, & deuotas. Franciſcus de Monaldenſibus de Vrbe ueteri, Epiſcopus, & Princeps Aſculanus, ac Palatinus Comes.

NOn eſt alienum, imò decet, iurique conſonum eſt, vt quem Omnipotens Deus ad cæleſtem gloriam elegit, & aſſumpſit, ab hominibus veneretur in terris. Mirifica opera, & quæ Deus ipſe per diuerſa mundi climata operatus eſt medio R. P. Fratre Ioanne de Capiſtrano Ord. Minorum regularis vitæ, & per ipſum, qui tot miraculorum inſignijs in vita, & poſt mortem claruit, nec deſinit clarere, non ſunt occulta, ſed in aperto patent, & potiſſimum vobis Sereniſſimis, & Reuerendiſsimis DD.

 apud

apud quos diuino nutu Pater ipſe obijt, & requieuit, vt ea veneratio amodo ab hominibus eſſatæ Chriſtianæ religionis condignè, & decenter fiat. Vobis Dominis ante dictis omni deuotione, & inſtantia ſupplico, obteſtorque, velitis, & placeat apud S. D. N. Summum Pontificem literis, & ea, qua noueritis inſtantia operari, & ſupplicare Beatitudinæ ſuæ, dignetur præfatum B. Ioannem tanquam benemeritum, & innumeris miraculis decoratum canonizare, & cathalogo aliorum ſanctorum adſcribere, & aggregare iuxta morem prælibatæ Eccleſiæ in ſimilibus debitum & conſuetum; indubiè enim teneri debet, quod ipſe Deus meritis, & interceſsione tanti Patris huius ſanctæ rei effectum procurantes, & affectione quærentes condigno præmio refouebit, & remunerabit. Maieſtatibus, & DD. VV. continuè me commendo, in quorum fidem præſentes fieri iuſsimus, & ſcribi, & noſtro conſueto ſigillo muniri.

Datum in Ciuitate Aſculi in Italia, & prouincia Marchiæ die 9. menſis Iunij 1459. Pontificatus S. D. N. Pij Papæ II. anno primo.

* * *

IVLIVS

Digitized by Google

IVLIVS CÆSAR FAGNANVS

Sacræ Conciſtorialis Aulæ Aduocatus coram

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

ALEXANDRO PAPA VII.

In publico Cardinalium conſeſſu, quo digniſſimè, tùm origine, & moribus, tùm pietate, & virtutibus

EMINENTISSIMO PRINCIPI

PASQVALI S. R. E.

CARDINALI DE ARAGONA

Purpureus traditus eſt pileus, ſic perorans ait.

SVarum virtutum luce conſpicuus, ſpectatiſſimis illuſtrium meritorum titulis venit coram ſanctitate Tua, Beatiſſime Pater, venit fortiſsimus Chriſti Athleta, Seraphici Ordinis decus, Hæreticorum domitor, Infidelium terror, Chriſtianæ Reip. propugnator B. Ioannes de Capiſtrano; venit non tàm natalium ſplendore, quàm rerum geſtarum gloria, & totius vitæ curſu ſanctiſſimè actæ admirabilis; venit, & cum maximè inclyta Prouinciarum Germania bellicæ tempeſtatis procellas aſpicit, hunc ipſum in ſe olim tuenda, atque hoſtibus propulſandis ſtrenuiſſimum bellatorem inermem recordatur et memorat; venit, nec alieno fortaſſe temporè, vt à maximo Eccleſiæ Catholicæ Duce miles inuictiſſimus coronetur.

Oppi-

Digitized by Google

Oppidum eſt in veteri Samnio ad caput Aterni fluminis, Capiſtranum appellant, quod vt alia deſint, quæ minimè deſunt, vnus ſatis illuſtrat, & nobilitat Capiſtranus, qui nec ignorari nomen patitur, & manſurum famæ decus in longinquas latè oras, & in omnem poſteritatis memoriam extendit. In eo ſiquidem oppido, parentibus inprimis nobilibus, & fortunæ bonis luculenter inſtructis, ſed pietate maximè concordiaquè conſpicuis anno Chriſtianæ ſalutis 1385. vitæ lucem ſortitus eſt Ioannes, lucem orbi daturus neſciam occaſus; Capiſtranenſi Matre, Patre Germano, qui in comitatu Andegauenſium Ducis in Italiam cum veniſſet, Capiſtrani ſedem ac domicilium collocauerat, vxore indidem ducta liberiſquè ſuſceptis.

Sed vix ille ingredi per ætatẽ, vix prima verborum tentamenta conari poterat, cum altæ heroicæque, & ad magna properantis indolis illuſtria emicuere prodigia; ità quibus informari artibus puerilis, etas ad humanitatem ſolet, diligenter excultus, ante annos maturè ſapiens Italicas Athenas ad optimarum diſciplinarum emporium nobiliſſimum, ad Auguſtam Ethruſcorum Academiam, Peruſiam venit; vbi quæ ſtatim & quanta ſtudendi vigilandiquè ſedulitas, qualis illa laborandi conficiendiquè negotij, & quàm perpetuo ferme decennio, ſemper inuicta conſtantia; diù noctuquè accubuus, aſſiduus indefeſſus contumax ad quantam breui vtriuſquè iuris, & omnis encyclopediæ gloriam, primis vbiquè par ſapientibus, euectus eſt? & quãta ſimul, quod præcipuum, & primum eſt, honeſtas morum, conſuetudinis humanitas, ſermonum comitas, quantus amor pietatis, quanta integritas vitæ, innocentia? ſed Deus bone, vt ſunt abſconditæ humanis intellectibus, & imperſcrutabiles vitæ tuæ, vt diuerſa à cogitationibus noſtris conſilia tua? Deijcis & attolis, imò tunc maximè attollis cum maximè deijcis, tunc ſanas cum feris, mederis cum vulneras, & bonorum, malorum.

lorumque cauſas ſub contraria ſpecie occultari plerumquè iubes. Ecce tibi vt ſit neſcio quę Peruſię rixa, ſiuè illa popularis ſeditio, ſiuè inter nobilitatem & plebem tumultus fuerit. Pacandis animis caduceator eloquentia, & authoritate præcellens, recōciliandæ gratiæ Ioannes dum ſtudet, ipſe propè ſubditur reus, arctam in cuſtodiam conijcitur, pro gratia inuidiam, pro beneficio ſuſtinere coactus contumeliam; ſed mox de turbido quanta ſerenitas, de tempeſtate quanta tranquillitas? Nactus in ergaſtulo lucem, in captiuitate triumphum, ſenatorios in vinculis anulos, Imperialia in compedibus coronamenta, & torques; nuſquam apparuit, quàm inter apparitores illuſtrior, nullibi vel melius didicit, vel religioſiùs humanæ diuinæque ſapientiæ litauit, quàm cum procul à libris, à doctoribus procul in obſcuro Carcerum clauſus vinctuſquè delituit. Abijt excuſſis vinculis, corpore animoquè liber, in veram libertatem iturus filiorum Dei ſublimis, & alacer Suijam compos, & ſibi redditus Patriam reuiſit, ſed non eò conſilio quòd pleriquè faciunt, vt ſeceſſum deſidem, otiumquè molle captaret, vt ſegniter, & iucundè vni viueret ſibi, vt rebus domeſticis procurādis, amplificandiſquè curam intenderet, ſed vt vale vltimum cognatis, & affinibus ipſiq; adeò Patriæ, & mundo diceret, & quicquid erat agrorum, & penatum, & fœnoris ſubita licitatione diuenditum, collecto pretio, elargiretur in pauperes, ſeque terrenis negotijs omnibus exſolutum, cœlitibus totum manciparet. Inde Peruſiam ille quidem continenter, ad notam, & dilectam ſapientiæ ſuæ Paleſtram, ſed quali facie & quantum mutatus ab illo? Veſte pannoſus & lacer, crine impexus, & ſordidus, cultu humilis, inceſſu verecundus factuſquè vndiquè ad imitationem ſtultitiæ, aſello inſidens, galericulo papiraceo caput intectus omnium in ſe oculos admirationemquè conuertit. Talis nimirum habitus decebat eum, qui veterem

homi-

Digitized by Google

hominem exuerat cum actibus ſuis, & peregrinus à cætu mortalium hoſpitari quærebat in ſuperis. Et quidem hoſpitari ſubitò cæpit, cum in religioſam D. Franciſci familiam eſt cooptatus, vt non humanam, ſed angelicam plane vitam agerè in eo ſocietatis conſortio videretur, ſui contemptor egregius, abiectiſſima quæque miniſteria ſtudioſiſſimè conſectans, aſperrimo cultu, tenuiſſimo victu, leuiſſimo ſomno, cui cilicijs, ieiunijs, vigilijs, verberibus macerare corpus, attererè vires, deſeruire infirmis, aſſidere languentibus, ſolatia afflictis opemque ferre, incendi affectibus, diffluere lacrimis, precationibus pariter, ſtudijſq; vacarè, & tota mente ab alienatis ſenſibus in Deum abripi, maxima, & vnica voluptas erat.

Sed quanquam ille beneuolentiam ſui, & venerationem apud omnes, quibus aut nouiſſe de facie, aut de fama audiuiſſe datum, facilè promeruerat, & factus omnia omnibus obſeruabatur, & colebatur ab omnibus, tamen neſcio quo arctiori neceſſitudinis, & familiaritatis vinculo D. Bernardino Senenſi vt comes, & diſcipulus & imitator adſtringi, & adhærere perpetuò viſus eſt, vt pro ſocio, & magiſtro ſuo Ioannes acriter quoquè pugnaret, & calumniatores adeò coercuerit aliquando, vt calumniam ipſam euerterit funditus, iuſſeritque in admirationem ſtuporemque concedere. Ità & Coelo teſte illuſtri ſanè prodigio, ſpectante populo vtriuſq; ſanctitas eſt comprobata, nam quod Senenſi, idem Capiſtrano palam eſt contigiſſe, vt ſuper vtriuſque verticem, dum Aquilę in foro concionarentur de laudibus Virginis, per meridiem ſtella viſa ſit eiaculari radios ipſo meridiano ſole, propè dixerim clariores. Sed fruſtra pro egregijs in Romanam Eccleſiam meritis, tot heroicis conſpicuum virtutibus virum Sanctiſſimum Eugenius Pontifex voluit Aquilanis, & Reatinis Epiſcopum dare; ſiquidem ille memor quod in re ſimili vſurpare familiari dicto conſueuiſſe præceptorem

ſuum

Digitized by Google

ſuum Bernardinum compererat, nolle ſe reſpondit, cui Dominus totum, quà latiſſimè patet, mundum ad diſſeminandum Euangelium ſuum attribuerat, vnius Regionis, aut Populi anguſtis terminis coerceri, vt Socrate melior non ille Atticus, aut Romanus, ſed mundanus ciuis, aut veriùs Cœleſtis diceretur. Ità diſſitas latè oras & fama nominis, & admiratione virtutis impleuit, ità in omnem terram fructus eius exiuit, vberrima vbique facta annona Diuini Verbi, multiſque adeò pro re Catholica legationibus, ac militaribus veluti expeditionibus egregiè, & feliciter functus victor nobilis triumphauit. Nam vt illa ſileamus, cum delegatus eſt in hæreticos Fraticellos, cum ad Philippum Burgundiæ ducem ad tollendum Schiſma eſt miſſus, cũ ab Eugenio Quarto Generalis Inquiſitor, & Vicarius Generalis ſui Ordinis eſt renunciatus, è longè plurimis ſaltem aliquid ad breue narrationis compẽdium perſtringendum eſt. Minabatur ingenio ferox, elatuſque ſucceſſu rerum, expugnato Bizantio Imperij capite, Mahumetes, quicquid erat Chriſtiani nominis victore exercitu profligatum abſumptum iri vaſtataque Vngaria, illiriciſque perdomitis, quos iam animo deuorauerat, nihil neque in Germania, neque in Italia, adeòq; Europa tota nihil reliquũ pietati, & Religioni forè, quo minùs vniuerſa miſerrimę inundationis pelago obruta mergerentur, & fuiſſent merſa haud dubiè, niſi vt Angelus Pacis, & Nuncius Apoſtol. accurriſſet B. Ioannes. Ille igitur in Germaniam aſſumpto in ſocietatem ſacræ expeditionis Iacobo Picente, Comiſſarius à Romano Hierarcha delegatur, qui ad Padum cum veniſſet, nec copia portitoris daretur ad traijciendum, quàm ſpecioſi pedes eſſent euangelizantium bona, præclaro miraculo Deus oſtendit, cum expanſo ſuper vndas pallio amnem cum comitibus tranſire fecit incolumes; aduenient in Auſtriam tanquã ſalutari, & beneficio ſuo numini videre erat prouolantes obuiam

in gratulationem, & venerationem effuſos populos, & cum populis Dynaſtas, cum Dynaſtis Sacerdotes. Aderat concionanti ſpiritus Domini, qui loquebatur in homine, aderatque omnis ordinis multitudo innumera, tantoquè cum emolumento animarum, vt abiuratis prauarum opinionum erroribus, ad Eccleſiæ corpus cateruatim, & certatim quotidie redirent. Hinc ampliſſimæ illæ regiones nouo prædicationis & ſanctitatis lumine illuſtratæ ad euangelij lucem patuere; hinc Caſimiro Rege ſupplicibus libris expetente in Poloniam venit, ibique incredibili cum plauſu exceptus, quot ille hominum millia ad ſaniorem frugem docendo, agendoque reuocauit, cum ad tantæ ſanctimoniæ famam non expectata vi vocis, & aſpectus, tam multi ad pœnitentiam voluntariam accurrerent, & ſua ſponte reſipiſcerent? Vt mirum eſſe non debeat ſi fundare in illis prouincijs tot templa, ſuique ordinis tot Cœnobia potuerit, ſi nobiles Polonos equites in ſacram militiam ſecum abducere, qui omnium imperabat animis, & in omnium amoribus erat.

Sed iam Vngariæ vltimum imminere periculum, vrgente valido cum exercitu centum, & quinquaginta millium armatorum Mahumete. Igitur Ioannes accitu Friderici Imp. & delegatione Calliſti Summi Pontif. Viennam redit, acceptaque ab eodem Cruce qua vteretur pro militari vexillo ingentia ſuis concionibus cogit agmina ad octuoginta millia Cruce ſignatorum, vbiq; impulſor hortator, anteſignanus, ductor & ardore pugnam ciere ſi non manu, ſuoſque in hoſtem accendere oratione, quaſi alter Ioſuè, & ſpiritu Capiſtranus.

Ioannes Coruinus Comes Biſtricenſis, auctore Cæſare, impulſoribus adeoque adiunctoribus, & auſpicibus Ioanne, & Iacobo, tutandæ Vngariæ propulſandique belli curam ſuſcipit. Obſidetur à Turcis Alba, pugnę acriter pugnantur, impreſſiones fiũt, eruptiones, impetus, Coruini manu,

Capi-

Capiſtrani conſilijs, vocibus precationibus ſuſtentata res, ſoluta obſidio, fugatus hoſtis, parta victoria, & in vna Vngaria trepidationi, & diſcrimini & excidio exempta Chriſtiana Reſp. vniuerſa; vt meritò & ſupplicationes pro gratiarum actione Calliſtus Pontifex Eccleſię indixerit, & ſolemnem ad poſteros diem annua recolendum celebritate mandauerit. At matura iam Cœlo virtus, meritis cumulatiorem quàm annis, & triũphales victorem laureæ reposcebant in ſuperos. Coruinus gloriæ plenus, nec multò poſt B. Ioannes cum ingenti populorum luctu velut accitus ad palmam obdormiuit in Domino, & ſoptiduo toto ſolemnibus datis exequijs in ferrea vrna quinque obſignata clauibus conditum corpus, quod poſt multos annos incorruptum & molle ab Hæreticis in Danubium proiectum non procul Vienna repertum eſt.

Hanc tam laborioſę vitę rationem, & per aſpera quæq; exercitæ intuentibus vix credibile videatur, vt homo Dei rebus vllis alijs tam impensè vacauerit. Nam magnum eſt, ità ætatem traducere, vt quà opera, quà prudentia præſentibus proſis, nec illud fortaſſe minus, in longum æuum beneficia extendere, & de omni benemereri poſteritate. Quæ quidem ipſa cum præclara ſint etiam diuiſa, quantò magis coniuncta putandum eſt, cum indefeſſo labore tot curis vnus idemque ſufficiat, vt prodigii ſimile ſit, & facere, & ſcribere vnum potuiſſe tam multa. Et ſanè cum in B. Capiſtrano tot longinquas obitas peregrinationes, tot itinerum difficultates exantlatas, tantum vigiliarum in ſupernarum rerum meditatione conſumptum audiamus, maceratumque ac propè enectum per inedias, cilicia, & verberum lanienas, corpuſculum, tantum temporis indultum concionibus, animiſq; ſub egendis Orco; aſſerendis Cælo, quæ illa demum ſubſeciua horarum parcia poſſumus intelligere Lucubrãdis libris, implendiſque paginis eſſe relicta? & tamen quàm non pauca, quàm va-

ria, quàm omni referta ſapientia diuini ingenij monumenta circumferuntur? De cenſuris, de vſuris, & contractibus, de caſibus, & de pœnis iniungendis de pœnis inferni, & purgatorij, de Matrimonio, de reſtitutione, de illuſtranda conſcientia, de dignitate Eccleſiaſtica, de Concep. B.V. de cupiditate de Paſſione Chriſti cõtra Huſſitas, in regulam fratrum Minorum, epiſtolæ, & tot alia, vt ſuo iure vir Religioſiſſimus potens opere & ſermone, & Canoniſta egregius nominetur, & paſſim hominem à Deo miſſum, & præcipuę in re Catholica authoritatis appellent; Principibus intimè arum, Imperatoribus Regibus maximè venerabilem, & eius in omni vita, quæ omnem ſuperet fidem, auſteritatis & innocentiæ, vt nouum Chriſti Apoſtolum nouum vbique Angelum, magnis quidem ſed vris elogijs, & certantibus animorum affectibus linguarum plauſibus proſequantur. Neq; verò ille, ſiue dum in terris ageret, ſiuè poſtquam eſt translatus in ſuperos ad conſortia beatorum, clariſſimis miraculorum prodigijs clarere vnquam deſtitit, & ſi quo in alio diuini operis potentia poſt Apoſtolorum tempora ſe ſe oſtendit, & mirabilis Deus ſemper in ſanctis ſuis, in vno maximè olim enituit, enitetque ad præſens Capiſtrano, qui & prophetico ſpiritu vaticinatus eſt plurima, eaque patrauit quæ non, niſi diuinitus poſſunt fieri, quorum quis inire numerum queat, & quot per illum ægri ſalutem, auditum ſurdi, muti loquelam, viſum cæci receperint, recenſere cum quod miraculorum eſt maximum, vel octo numerentur ij, quos lætho ereptos, reduxit in vitam.

Quæ quidem omnia ſuperſtiti adhuc, & in humanis agenti Capiſtrano venerationem colligere tantam potuere, & ſanctimoniæ famam vbique tantam, vt Nicolaus V. Pontif. palam teſtatus ſit aliquando, ſi ſe regnante mortem obiret Capiſtranus, eum ſe non dubitaturum quin ſtatim aris templiſque, & diuinis donatum honoribus adſcrip-

ſcriptumque ſanctorum catalogo promulgaret. Sed quod præſtare Nicolaus V. non potuit, Leo X. in parte reddidit, decreuitq; celebritates annuas ſolemni ritu; & complaudente Cœlo, terriſque gratulantibus in claſſem retulit Beatorum; præcipua tamen gloria noſtrorum temporum felicitati reſeruata eſt, Beatiſſime Pater, vt tu ſupremam manum tanto operi imponas, & virum tanta virtutum laude ſpectabilem, in Diuorum Album referas, & venerandum Eccleſiæ proponas, teque popularis Bernardini memoria ſic ſubeat, & quando tam arcta illa coniunctio animorum fuit, quando par ambobus laurea inter cœleſtes obuenit ad altaria quoque, ac delubra par inter homines cultus accedat, ſitque illa inter præcipuas Beatiſſimi Pontificatus tui laus augere ſanctorum numerum, Religionis terminos ampliacare, populorum pietati, ac ſaluti omni cura ſtudioque conſulere. Sic igitur exiſtima Beatiſſime Pater, auctorem, & comprecatorem huc è Cœlo adeſſe D. Bernardinum Senenſem, teque precibus obteſtari feruidiſſimis, ne diſcipulum & comitem, & ſocium & adiutorium ſuum B. Ioannem hoc iam olim debito ſanctitatis titulo, tot inſignibus præcellentem meritis, carere diutius patiare, pro quo ſupplices Cæſar, omneſque Germaniæ, & Poloniæ proceres, atque iterum Franciſcana familia; ac tot Dynaſtæ, qui humiliter hoc à te petunt, & ſanctiſſimis tuis pedibus aduoluti, oraculum Pontificiæ vocis expectant.

Reſponſum

Sanctiſs. D.N. D. Alexandri VII. Pont. Max.

Sacrorum Rituum Congregatio audiat, & referat.

Hæc

Hæc ſatis, cæteris quàm plurimis eiuſdem qui ſupra tenoris ab Vuadingo in 6. eius tomo regiſtratis, ac ſuo loco ſuiſque temporibus per Annaliſtam eiuſdem Ordinis referendis cauſa breuitatis omiſſis.

HYMNO CAPISTRANI

Ex conſueto ob deuotionem confodalium aliorumque decantato ſequente.

O Chriſti miles inclyte
Ioannes voce, & opere
Diebus his nouiſſimis
Clarus apparuiſti.

Tu Cruce Turcas fugas,
Tu Cruce morbos ſanas,
Tu Cruce cunctos iuuas,
Dux quibus tu fuiſti.

Implora nobis veniam,
Ac fidei conſtantiam,
Chriſti legis cuſtodiam,
Quem verè dilexiſti.

℣. Ora pro nobis B. Ioannes à Capiſtrano.
℞. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

EXaudi preces noſtras Omnipotēs, & miſericos Deus, & qui meritis B. Serui tui Ioannis multitudinem gentium ſanans illuminaſti: da quæſumus, vt, ipſo intercedente, ab omni malo, & periculo liberari mereamur, qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum.

Pro-

Digitized by Google

Proteſtatio Auctoris.

LECTOR aduerte in Elogijs tanti Viri quos hoc libro complexus ſum nonnulla me obiter attingere, quæ ſanctitatem ipſi videantur adſcribere: perſtringo nonnunquam aliqua ab eo geſta, quæ cum vires humanas ſuperent, miracula videri poſſint: præſagia futurorum, Arcanorum manifeſtationes, reuelationes, illuſtrationes, & ſi quæ ſunt alia huiuſmodi beneficia item in miſeros mortales eius interceſſione diuinitus; demum nonnullis ſanctimoniæ, vel Martyrij videor appellatione tribuere. Verum hæc omnia ita meis lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi tanquàm ab Apoſtolica Sede examinata, atque approbata; ſed tanquàm, quæ à ſola ipſius Auctoris fide pondus obtineant, atquè adeo non aliter, quam humanam hiſtoriam. Proinde Apoſtolicum S. Congregationis S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum Anno 1625. editum, & Anno 1634. confirmatum integrè, atque inuiolatè, iuxta declarationem eiuſdem Decreti à Sanctiſs. D. N. D. VRBANO Papa VIII. Anno 1631. factam ſeruari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare, vel famam, & opinionem ſanctitatis, aut Martyrij inducere, ſeù augere, nec quicquam eius exiſtimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando iſtius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem ſecluſa hac mea lucubratione obtinerent, non obſtante quocunque longiſſimi temporis curſu. Hæc tàm ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua inſcriptione, & actione dirigi.

Ego idem Ioannes Babtiſta Barberius Romanus.

BIBLIOTECA NA ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ERRATA CORRIGE.

Ex Vita.

Errata Corrige.

Pag. 3. v. 3. meta, meta
22. 13. futurum, futuram
25. 16. profeſcionem, profeſſionem
19. 17. illis, illi
24. 7. folutis, ſalutis
24. 9. Ioanna, Ioannæ
25. 5. bonum, bonam
25. 15. formidalibus, formidabilibus
25. 27. qualiber, qualibet
27. 1. aſſignatè, aſſignare
28. 11. inſluctionem, inflictionem
42. 12. qrincipali, principali
42. 22. dante Domino, dante Domino.
54. 10. vixurus, victurus
58. 18. Auenienſi, Aueniouenſi
70. 8. fuerit, fueris
74. 25. cantum, cantus
77. 3. intermitere, intermitteret
78. 17. nequens, nequiens
86. 25. occurrerent, occurrerunt
86. 25. Sacerdotus, Sacerdotes
133. 5. vtrumque, vtramque
135. 1. euendique, euehendique
235. 4. quo, qui

Ex Teſtim. mirabil.

Errata Corrige.

139. 16. omnes, omnis
149. 20. Florentinorum, Florentinorum

143. 19. inſultandam, inculcandam
144. 24. appropinquaret, appropinquare
152. 25. radientem, radiantem
152. 26. Oannem, Ioannem
153. 24 accendis, accendendis
154. 18. Papa, Papæ
155. 7. liberetur, liberaretur
155. 10. competit, comperit
161. 24. ſanctitas, ſanctas
161. 26. obnuebat, abnuebat
166. 27. Princibus, Principibus
168. 15. abigimus, ambigimus
176. 9. complectorum, complector

Ex Miraculis poſt mortem.

Errata Corrige.

3. 2. curruſcationem, coruſcationem
13. 26. friuata, priuata
14. 6. contrinxit, conſtrinxit
15. 13. puellam, puellam
16. 22. etiam clauſum, os etiam clauſum
17. 25. tam, iam
28. 26. recepit, recepit
29. 7. totius, totus
48. 29. dies in, in dies
45. 21. moriretur, moreretur
51. 8. operat, operari
52. 15. ferurulis, ferulis
53. 8. pædeſter, pedeſter
61. 19. contrinxit, conſtrinxit

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google